

DE ARTE METRICA ARCHILOCHI QVAESTIONES.

DISSERTATIO INAVGVRALIS

QVAM

AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM ORDINIS CONSENSV ET AVCTORITATE

IN

ACADEMIA GEORGIA AVGVSTA

AD

SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES RITE CAPESSENDOS

SCRIPSIT

HERMANNVS DETTMER

HILDESHEIMENSIS.

HILDESHEIMII

TYPIS EXPRESSIT OFFICINA GERSTENBERGIANA

MCM.

Examen rigorosum habitum est die V. mens. VIII. a. IC.

MEMORIAE

PATRIS CARISSIMI

---

† 7. VI. 1892.

S.

§ 1.

De productionibus et correptionibus ante mutam cum liquida.[1]

Licentiam quandam fuisse poëtis certis legibus et terminis circumscriptam in utendis sive longis sive brevibus syllabis mutae liquidaeque consonae concursu productis[2]) inter omnes constat. atque postquam quaestionibus virorum doctissimorum Jacobi La Roche et Hartelii de usu Homerico quaesitum est, Johannes Rumpel de ratione quam poëtae tragici, Arthurus Ludwich de ea quam Nonnus secutus est, diligentissime disseruerunt, Carolus Goebel 'de correptione attica' poëtas elegiacos in examen vocavit, novi vix quicquam de Archilochi usu disputari posse opineris. sed cum Archilochi exempla, quae solum ex elegiis sumpta erant neglectis iambis, adhuc breviter perstricta sint, ita ut omnia exhauriri non possent, operae pretium mihi visum est voces quae huc pertinent singillatim afferre, quibus collectis et pertractatis nonnulla accuratius cognosci posse spero.

---

1) Adhibita sunt: Christ, metr. d. gr. u. röm. p. 12 sqq., C. Freese, gr.-röm. metr. p. 28, Goebel, de corr. att. p. 1—18, Hephaestion, schol. p. 100 (ed. Westphal), G. Hermann, de metris 68 sqq., el. doctr. m. p. 44 sqq., Otto Hoffmann, ion. dial. 1898 p. 580. 584 sqq., L. Müller, metr. d. gr. u. r. 54 sqq., Renner, de dialecto antiqu. gr. poes. eleg. et iamb. I 178, Johannes Rumpel, qu. metr. I pag. 2, W. Schulze, qu. ep., R. Westphal u. Gleditsch, allg. metr. d. gr. p 104 sqq., v. Wilamowitz-Moellendorff, hom. unters. 324, Spitzner, Krueger, Hilberg, Ludwich, all.

2) Cf. Mar. Victorin. 31, Mall. Theod. lib. de m. 587 (K) de talibus syllabis, quas Graeci κοινάς vocant, Longinus philosophus docuisse Hephaestionem haec tradidit: ἓν εἶδος τῆς κοινῆς εἶναι τὸ ἔχειν καὶ δύνασθαι βραχεῖαν οὖσαν εἰς μακρὰν παραλαμβάνεσθαι, ἢ ἔμπαλιν τὸ δύνασθαι μακρὰν οὖσαν εἰς βραχεῖαν. (p. 91 Westph.)

Primum congero locos, ubi productio certa est; sunt syllabae haec, in quibus

I. liquidae λ antecedit

a) muta labialis

1. π: ἐϋπλοκάμου ◡ 2 ◡ ◡ 3 fr 11 hex.
   κεροπλάστην ◡ 2 – 3 57 tetr.
   ἐπλήμμυρεν 2 – 3 ◡ 97,3 trim.
   ἀναπλήσει ◡ 4 – 5 A[1]) 5 trim.
2. β: exemplum extat nullum.
3. φ: πολυφλοίσβοιο ◡ 4 – 5 ◡ 9 hex.
   ἀπέφλυσαν ◡ 5 ◡ 6 35 trim.
   τυφλάς 2 – 101 trim.

b) muta gutturalis

1. κ: κεκλιμένος 5 ◡ ◡ 6 2 pentam.
   δουρίκλυτοι – 4 ◡ ◡ 3 hex.
   ἔκλυσεν 1 ◡ ◡ 9 pent.
   ἐκλίνθησαν 2 – 3 ◡ 34 trim.
   Περίκλεες ◡ 4 ◡ ◡ 9,1 hex. 16 hex.
   in nomine Ἡράκλεες – 3 ◡ 4 119 troch. syllaba antepaenultima positione longa est sicut in Homeri carminibus (Il. 5, 638; 14, 266, 323; 15, 25; 18, 118; 19, 98; 20, 145; Od. 8, 224; 11, 601.) et in Tyrtaei (Ἡρακλῆος – 2 – 3 11,1 hex.; Ἡρακλείδαις – 2 – 3 2,2 pent.)[2]) sed de hoc incertae memoriae fragmento amplius disputabo p. 36 sqq.
2. γ: vide infra.
3. χ: ἀχλύν 2 ◡ 103 trim.

c) muta dentalis

1. τ:
2. δ: exempla non extant.

---

[1]) AB = fragmenta Reitzensteiniana (berl. sitz.-ber. 1899, 857 sqq.); CD = fr. Hilleri de Gaertringen (ath. mitt. 1900, XXV).

[2]) Ambigua in Pindari epiniciis ratio est: duodecies ακλ syllaba producitur, corripitur decies, bis anceps est. — in Sophoclis iambis sub stantivi Ἡρακλῆς media syllaba semper corripitur, in tetram. Phil. 1406 et in melicis Trach. 852 producta legitur; in Euripidis iambis et producto α et correpto extat, in tetram. bis producto α. (Rumpel lex. Pind., eiusdem quaest. metr. II 5).

3. θ: ἄεθλα 104. non est cur in Bergkii interpolatione moremur, cum aut synizesis ἄεθλα[1]) aut contractio ἆθλα (Fick, Hoffmann ion. dial. 322!) adgnoscenda sit.

II. liquidae μ antecedit

a) muta labialis

1. π:

2. β:

3. φ: exempla non extant.

b) muta gutturalis

1. κ: —

2. γ: praetereo duo exempla μεμαγμένῃ ⏑ 4 ⏑ ⏑ 2 hex. et διαπεπλιγμένον ⏑⏑ ⏑ 7 ⏑ 8 58,1 tetr., a quibus correptionem (ante γμ) exclusam esse nemo est quin sciat.

3. χ: —

c) muta dentalis

1. τ:

2. δ: exempla non extant.

3. θ: (κἀναρίθμιος 5 ⏑ 6 ⏑ 7 legitur 63,1 tetr. ex falsa coniectura Bergkii, multo melius Porsoni καίπερ ἴφθιμος.)

ῥυθμός 5 ⏑ 66,7 tetr., ubi Stobaei cod. Vindob. S ῥυσμός exhibet (σ ex θ corr.), recte quidem, vide G. Meyer, griech. gramm. [3] § 280.[2]) O. Hoffmann, ion. dial. 566. 599. Bahntje, qu. Arch. 90.

III. liquidae ν antecedit

a) muta labialis

1. π:

2. β:

3. φ: exempla non extant.

---

[1]) Bentlei εὖτε πρὸς κτλ, receperunt Fick, Hiller-Crusius, Hoffmann.

[2]) ῥυθμόν — ⏑́ legitur Theogn. 964.

b) muta gutturalis

1 κ: περὶ κνήμας (sive — γ/σ'? vide infra p. 12 adnot. 1) ⏑ 6 – 7 58, 3 tetr.

πυκνόν 1 ⏑ 89,6 trip. dactyl.

2. γ: Μαγνήτων 4 – 5 20 trim.

γίγνεται 1 ⏑ 2 63,2 tetr; 70, 2 tetr;

6 ⏑ 7 56,4 tetr.

7 ⏑ 8 63,3 tetr. 74,5 tetr.

(Fick et Hoffmann semper γίνεται).

ἁγνῆς 2 – 120 iobacch.

στυγνόν – 1 in thesi anapaesti 80.

3. χ: ἀχνυμένη 1 ⏑ ⏑ 2 89 trip. dactyl.

c) muta dentalis

1. τ:

2. δ:

3. θ: exempla non extant.

IV. liquidae ρ, antecedit

a) muta labialis

1. π: ἀπόπροθεν ⏑ 1 ⏑ 2 25,4 trim.

καταπροΐξεται ⏑ 4 ⏑ 5 ⏑ 6 92 trim.

το πρίν 1 ⏑ 94 trim; A 14 trip. dact.[1]

ἀπεπρίσθη ⏑ ⊥ – ⊥ 122 in clausula trimetri (coniectura incerta, sed — ἐπρ certum videtur).

εὖτε πρός – 1 ⏑ 104 trim. ex Bentlei coniectura incerta.

ἐπὶ προβλῆτος ⏑ 2 ⏓ 3 ⏑ 109a Hiller-Crusii trim.

2. β: ὕβριν 2 ⏑ 35 trim.

3. φ: μετάφρενα ⏑ 5 ⏑ 6 29,3 trim.

ἐλαφρίζων ⏑ 4 – 5 87,3 trim.

---

[1]) το πρίν pro adverbio saepissime etiam apud Homerum ita usurpatum videmus, ut το semper producatur:

1. το in arsi: δ 42, 518; φ 32; Z 125; I 403; O 72; Π 573; Φ 476; X 156 (octiens in primo pede, semel Φ 476 tertio).
2. το in thesi: γ 265; E 54; N 105; Ω 543 (bis thesi secunda, semel E 54 th. quarta). ceterum unum vocabulum esse τοπρίν docet atticorum usus, qui πρίν adverbium temporale non norunt sed τοπρίν.

δολοφρονέουσα ◡ 1 ◡ 2 ◡ 93,2 trim.
ἐφράσω 4 ◡ 5 94,1 trim.
παρήειρε φρένας ◡ 2 – 3 ◡ 4 94 dim. iamb.
ἐφρόνεον 3 ◡ 4 112 iamb.
ἀφρός 3 ◡ 139 trim.

b) muta gutturalis

1. κ: ἐπὶ κρατερήν ◡ 2 ◡◡ 3 9 pent.
ἐπικρατεῖ ◡ 7 ◡ 8 69 tetram (incertum).
ἄκρα 3 ◡ 54 tetr.
ἀκρόκομοι 2 ◡ ◡ 3 A 4 trip. dact.
ἀκρασίηι 2 ◡ ◡ 3 A 10 trip. dact.
ἀποκρύψας ◡ 6 – 7 74 tetr.
χαλίκρητον ◡ 6 – 7 78 tetr.
ἀποκριθείς ◡ 5 ◡ 6 89,3 trim.

2. γ: ἄγρει 1 – 4 hex.
λυγρά 4 ◡ 7 pent.
λυγρόν (corruptum) 4 ◡ 74 tetr.
ἀγρίης 3 ◡ 4 21 trim.

3. χ: πολυχρύσου ◡ 4 – 5 25,1 trim.

c) muta dentalis

1. τ: ἀπὸ τρυγός ◡ 4 ◡ ◡ 4,3 hex.
ἐτράπεθ' 1 ◡ ◡ 9,8 pent.
ἀνατρέπουσι ◡ 3 ◡ 4 ◡ 56,3 tetr.
πετραίη 2 – 3 19,1 hex.
μηλοτρόφου – 5 ◡ 6 26 trim.
ὀτρυγηφάγου 4 ◡ 5 ◡ 6 97 trim.
ἀμφίτριβας – ⏊ ◡ ⏑̄ 134 ? (de syllaba τρῐ vide infra).

2. δ: ἴδρις 3 ◡ 39,2 trim.
ἀμφιδέδρομεν 4 ◡ 5 ◡ 6 40 trim.
συνέδραμεν ◡ 7 ◡ 8 52 tetr.
ἀμυδρήν ◡ 2 – 128 trim.

3. θ: ἐρυθρόν ◡ 3 ◡ 4 hex.
ἀθρόην 3 ◡ 4 35 trim.
ἀθροΐζεται 5 ◡ 6 ◡ 7 60 tetr.
ἀπέθρισεν ◡ 5 ◡ 6 138 trim.[1])

[1]) syllaba θρῐ natura brevis sicut Soph. Ai. 239.

Hucusque consulto omisi omnes syllabas muta c. l. praeditas, quae utrum longae an breves sint incertum fit sede versus. illae hic sequuntur:

I. Liquida λ antecedente

a) muta labiali

1. π: διαπεπλιγμένον ⏖ ⏓ 7 ⏑ 8 58,1 tetram.

2. β: προβλῆτος ⏓ 3 ⏑ 109a). Hiller-Crusii, trim.

3. φ: —

b) muta gutturali

1. κ: κεκλήσομαι ⏓ 5 ⏑ 6 24 trim.

2. γ: ἄειδε Γλαῦκον ⏑ 5 ⏑ 6 ⏓ 57 tètr.

3. χ: —

c) muta dentali:

exempla non extant.

II. Liquida μ:

ὄγμος – 1 116 trim., ubi melius ὄγκος legitur, vide Hoerschelmann p. 69, Liebel ed. II. p. 207.

III. Liquida ν:

γίγνωσκε – 3 ⏑ 66 tetram.

IV. Liquida ρ antecedente

a) muta labiali

1. π: —

2. β: ὕβρις ⏓ 1 88 dim. iamb.[1])

3. φ: —

b) muta gutturali

1. κ: νεκρῶν ⏑ 3 59,1 tetr.
ἄκρον ⏓ 1 A 11 trim.
δὲ κρητικούς ⏑ 2 ⏑ 3 133 trim?

2. γ: μύροισι γραῦς ⏑ 2 ⏑ 3 31 trim.

3. χ: —

c) muta dentali

1. τ: πέτρης ⏓ 1 141 = 109a. Hiller-Crusii, trim.
τῶι χυτρεῖ 4 ⏓ 5 B 7 trim.

2. δ: μὲ δρῶντα ⏑ 3 ⏑ 65,2 tetram.

Ad diiudicandam quaestionem utrum in illis vocabulis correptio an productio valeat interest primum scrutari, num

[1]) producta paenultima in thesi primi dactyli Xenoph. 1, 17.

mutae cum liquida copulationes inveniantur, quas vocales breves antecedunt; deinde considerare qualis sit ratio et poëtarum elegiacorum et iambographorum antiquiorum et Homeri.

Atque correptio attica, quam vocant, occurrit metro cogente ter: fr. 15 et 32,2 et B 4, et ea ante βρ.

De versu

πάντα πόνος τεύχει θνητοῖς μελέτη τε βροτείη (15)[1])

Archilochi nomen parum locuplete testimonio niti Bergkius intellexit. unus enim Joannes Siceliota (ap. Walz rhett. VI 96) Archilocho tribuit. sed si in sententia nihil est, quod Archilocho abiudices — neque quidquam a poëta praeclaro alieni dictum autumo, praesertim cum similes loci idem affirment (Xenoph. Memor. II 1; Vergil: labor improbus omnia vincit) — cave ne ex illa correptione sola argumentum dubiae fidei proferas. iam cum sermonem Archilochi cum homerico satis congruere Deutickius et Laeger illustraverint maximeque cum Hartel[2]) accuratissime demonstraverit positionem ante mutam c. l. plerumque in priore thesi tertii et quinti pedis neglegi, non est cur talis correptio quae saepissime in Homeri carminibus reperitur, Archilocho licitum non fuerit. at cum apud Joa. Sic. μελέτη τ'ἀρίστη traditum sit, unde βροτείη insanum esse efficitur, illius correptionis rationem in hac quaestione non habendam esse, contra Bergkii dubitationem stare puto. neque aliter iudico de secundo versu fr 32.

ἡ Φρὺξ ἔβρυζε, κύβδα δ'ἦν πονευμένη

quem plerique viri docti, quibus correptio offensioni erat, corruptum esse consentiebant, quoniam trimetri iambum secundum oporteret integrum esse. facillima sane medela (quam a Bergkio adnotatam non esse miror) a Liebelio est proposita ei quem correptio moretur, legere verbis transpositis 'ἔβρυζεν ἡ Φρύξ', sed optimo iure ipse Liebelius transpositionem necessariam non esse existimat. neque enim solum in Homero multa correptionis

---

[1]) Otto Hoffmann, ion. dial. p. 95: πάντα βροτοῖσι πόνος τεύχει μελέτη τε βροτείη coniecit; cf. infra p. 91.

[2]) Homer. studien I² 81. La Roche, homer. unt. Lps 69 p. 6 sqq. 20 (ubi multa exempla correptionis ante βροτός extant). Scheindler, quaest. Nonnianae 27 sq.

exempla sunt, sed etiam in his poëtis elegiacis Mimnermo, Solone, Demodoco, Phocylide, Sapphone, Xenophane, Anacreonte, Erinna, Theognide cett. vide Goebel p. 3 sqq., 18., quibus addo iambographos Semonidem Amorg., Hipponactem, Hermippum. quid? quod illi ipsi viri docti, qui consentiunt ἔβρυζε propter correptionem corruptum esse, idem vitium quod putant aliis Archilochi versibus inculcare non dubitant? Bergkius qui l. c.

βρυάζει vel ἢ Θρῆιξ ἂν ἢ Φρὺξ ἐβρύαζε

proponit, commendat pag. 405 ad fr. 78 v. 5:

εἰς ἀναιδίην ἀκλητὶ κτλ
1 ◡ 2 ◡ 3 ◡ (!) 4 ◡

initio tetrametri. similiter Hartung, qui βρύαζε scripsit (griech. lyr. V pag. 90) ad fr. 78 tertium versum (trimetrum) sic excogitavit:

οὐ μὴν σὺ κληθεὶς ἦλθες οἷα δὴ φίλος.

Diels denique ad fr. 143:

τέττιγ' ἐδράξω τοῦ πτεροῦ.[1])

quae cum ita sint, ἔβρυζε non propter correptionem, sed propter sensum sollicitandum est, quo adducor, ut Wilamowitzium sequar, qui ἔμυζε vere correxit (Hermae 33). restat tertium exemplum correptionis atticae in fr. Reitzenst. B 4: οἶδεν ἄριστα βροτῶν, quod genuinumne esset Blassius (mus. rhen. LV 102) frustra in dubitationem vocavit.[2])

Si igitur a γν litterarum iunctura discesseris (ante quam neque in ullo genere usquam poëseos graecae correptionem admitti et productionem κοινῶν ἐννοιῶν esse nemo est quin sciat) nullum invenies exemplum vocalis ante mutam c. l. **in thesi** productae. non extat in versibus dactylicis productio, correptio una ante βροτός. profecto ad mensuram syllabae existimandam magni interest, utrum in sublatione an positione sit. nam unaquaeque syllaba in positione longa sublationem quoque efficit, non sublationis syllaba ubique positionis longae vices susci-

---

[1]) de correptione ante stirpem δρακ- cf. A. Ludwich, Beitr. z. Kr. d. Nonn. v. P. 1873 p. 14 sq: 'bei dem Verbum überwiegt — die Neigung für die Positionslänge — nicht so bei dem Substantivum —, welches schon Homer mit vorausgehender Kürze braucht.'

[2]) cf. Fr. Leo, de Horatio et Archilocho, Gott. 1900.

pere potest. valet autem semper in versibus dactylicis nullo modo vincta neque solum in Archilochi reliquiis sed etiam in Callini, Mimnermi, Solonis, Demodoci, Phocylidis, Anacreontis, Erinnae, Hipparchi, Empedoclis, Aeschyli, Sophoclis, Euripidis, Melanthii, Dionysii Chalci, Thucydidis, Antimachi, Socratis, Critiae, Parrhasii, Dionysii Minoris, Mamerci, Astydamantis, Philisci, Apharei, Speusippi, Aristotelis, Cratetis (= 680 vers.) haec lex: in disyllabis et vocibus plurium quam duarum syllabarum, quarum prima (in disyllabis prior) vel secunda vel tertia syllaba positione consonantis mutae cum liquida iunctae producta est, percussio numerorum in hanc syllabam productam cadit.[1])

Itaque in Goebelii sententia (p. 16 l. 11) non iam acquiescendum est, cum praecipere deberet: 'utrum in arsi an in thesi producatur parvi refert in Tyrtaei, Xenophanis, Theognidis, Simonidis, Platonis carminibus, **apud Archilochum, Callinum, Mimnermum, Solonem ceteros magnopere interest.**'

Sequitur, ut de positione minus valida disseramus quae fit si vocalis brevis in fine vocis iunctura mutae c. l. vocis insequentis excipitur. quo plus lucri ad commentationem nostram redundet, haud alienum videtur considerare quam rationem Homerus sit secutus. accuratissime La Rochius, quem ducem sequor, p. 10—41 'quaestionum homericarum' 3503 locos congessit. illorum vocabulorum ego expectaveram fortasse quartam vel quintam partem sic positam esse, ut syllaba copulatione mutae c. l. excepta in thesi produceretur. sed postquam omnia singula diligentissime perlustravi, plane aliud apparuit: ne decima quidem, immo ne tricesima quidem pars ita posita est, sed solum 23 vocabula vel 68 locos dispescere potui, ut ratio sit 100 : 1,96 i. e.

[1]) conferas de latinae artis usu F. Krüger de Ovidi fastis rec. (Schwerin 1887) p. 15, Stiera die prosod. functionen inlaut. m. c. l. bei Vergil, Czernowitz 1898, Rasi riv. di filol. 1899 p. 242 sq. — ceterum observes productioni in arsi pedis quarti hexametri (6iens: 2, 3, 4, 9, 1.3., 16), quinquiens incisionem quae est κατὰ τρίτον τροχαῖον praegressam esse, semel semiquinariam una cum bucolica in versu mutilo 3 in quo forma ipsa δουρίκλυτοι offensione non caret (iuxta δορί 2). — de productione in extremis vocabulis v. p. 10.

Quinquagesima demum pars omnium vocabulorum in Homeri carminibus (quae La Rochius attulit) ita collocatur ut brevis vocalis finalis ante mutam c. l. producatur.

Singulas adiungo voces[1]):

λ

οὐδὲ Γλαῦκος M 329 (contra brevis vocalis praecedens vi ictus octiens producitur); δὲ κλῆρον H 175; δὲ κλήρου H 189 (praecedens vocalis in arsi quater); τε πλείστην T 222 (pr. voc. in arsi deciens);

ν

ὄφρα γνῷς χ 373 (pr. v. i. a. quinquiens deciens); δὲ γνύξ ter; ἄνδρα θνητόν Π 441, X 179 (pr. v. i. a. semel et viciens);

ρ[2])

οὐδὲ βρῶσις semel; δὲ Βρισηίς semel; ὄρσο γρῆυ semel; φύλλα δρεψάμενοι semel; δὲ Κρητῆρες ν 105 (pr. v. in arsi octiens deciens); δὲ Κρηθῆος semel; ἀλλὰ πρίν Θ 500, Φ 179, με πρίν T 306; σε πρίν Σ 334; τὸ πρίν γ 265, N 105, Ω 543; ἀλλὰ πρό Ω 215 (pr. v. in arsi ter et quadragiens); ἀλλὰ (sive δὲ) προμνηστῖνοι φ 230, λ 233; ῥα προκρόσσας Ξ 35; σε προφρονέως E 810; ἀλλὰ πρῶτα π 402; με πρῶτον Ω 557; σε πρῶτον η 237, τ 104; σε πρῶτα ν 228; σε πρῶθ' ρ 573; δὲ πρῶτος φ 144, Ξ 402, Π 284, σὺ πρῶτον ν 133 (pr. v. i. a. septiens et septuagiens); δὲ πρόσθ' η 21, E 170, Θ 100, 134; ὃ πρόσθ' N 392, Π 485; ἀλλὰ πρόσσω M 274 (p. v. i. a. bis); με πρεσβυτάτην Δ 59; σὺ πρῴην Ω 500; δὲ τρίς Ψ 13; δὲ Τρῶας Y 38; δὲ Τρῶας Λ 521; οὐδὲ Τρῶας K 299; δὲ Τρωσί Π 783; αὖτε Τρῶες Z 73, P 319; οὔ τι Τρῶας H 27; τι Τρῶες Π 303;

[1]) **Hartelii tabulam (pag 85—88 editionis alterius) pro fundamento habere nolui, quippe quae vitiis gravioribus non caret, e. gr. 8iens litterarum μν copulationem cum iunctura mutae c. l. confundit.**

[2]) **secernenda videntur τὸ πρίν (E 54; τό in arsi octiens deciens), τὸ πρῶτον (δ 13, 159, 509, ξ 467, ψ 214, Δ 267), τὸ πρόσθεν (δ 688, M 40, λ 629, Ψ 583; ότ in arsi quater), τὸ κρήγυον et si quae praeterea unam partem orationis efficiunt (τὰ πρῶτα undeciens; τὸ Τρωικόν semel [τό in arsi 142iens] τὰ χρήματ' semel).**

τα[4] φράζεαι Α 554; ἐσθλὰ[2] φραζομένῳ Μ 212 (p. v. i. a semel et viciens); ἀλλὰ[2] χρή Δ 57, Τ 228; σε[2] χρή ρ 417, Η 331, Ι 100; δὲ[2] χρή Ε 490 (pr. v. i. a. septiens et triciens); ἀλλὰ[2] χρήματα ν 363; πολλὰ[2] χρήματ' ξ 385; δὲ[2] χρήματ' ν 283; ἠδὲ[2] χρύσεα π 185; δὲ[2] Χρυσηίς Α 439 (pr. v. i. a. ter et quinquagiens).

De sede huius productionis haec apparent:

1. plerumque invenitur in thesi primi (quater et quadragiens) vel secundi pedis (semel et viciens),
2. rarissime in thesi tertii (semel), et quarti (semel),
3. nunquam in thesi quinti pedis.

Praetera observes vocalem brevem non produci nisi in monosyllabis et bisyllabis et maxime in δέ 23×, quibus οὐδέ 3× et ἠδέ 1× adiungendum, deinceps sequuntur: ἀλλά 9×, σε 9×, με 3×, τό 3×, σύ 2×, ὅ 2×, τι 2×, αὖτε 2×, ἄνδρα 2×, τά 1×, ῥα 1×, τε 1×, ὄφρα 1×, φύλλα 1×, πολλά 1×, ἐσθλά 1×, ὄρσο 1×. Κε et praeteriti tertia persona singularis in ε desinens nusquam in thesi producta concentu omnium librorum manusc. occurrunt, unde vim minorem et quasi fluxiorem mobilitatem syllabarum cognoscas. itaque ubi libri inter se dissident, coniecturas La Rochii pag. 15, 18; 31, 33; 32, 6; 36, 20. 21. 25. 27; 41, 6; comprobare nequeo, sed in thesi κεν et —εν scribendum puto: κεν πλεῖστα π 392, φ 162, Ζ 69; κεν πρῶτα λ 221; κεν πρῶτον Ο 297; κεν Τρῶες Δ 66. 71, Φ 459; κεν Τρωσί Ρ 613; ἐκέλευεν Τρωσί Χ 101; δῆσεν χρύσειον Ε 730. neque Zenodoti neque Aristarchi auctoritas obstat; at λ 221 'κεν πρ'.' Cratetis antiaristarchei nomine nititur. neque eadem de causa ego synizesin necessariam esse censeo: La Roche p. 18,9 ἔτικτε πνέουσαν, cum primum ἔτικτε trisyllabum sit, deinde ultima syllaba minus valida sit quam ut longam thesin efficere possit; similiter Λ 686 (La Roche p. 41, 8) οἷσι χρέως, ut Aristarchus scripserat (Ludwich Arist. I 334), et θ 353 (La Roche p. 41, 14) οἴχοιτο χρέως sine synizesi legendum est. in extremis enim vocabulis correptio 579 locis regnat, vide La Rochium p. 14 (ante κλ), 15 et 16 (πλ), 16 (χλ), 18 (πν), 20 (βρ), 21 (δρ, θρ), 25 et 26 (κρ), 32 et 33 et 34 (πρ), 36 et 37 (τρ), 41 (χρ).

De sede correptionis iam supra Hartelii studiorum homericorum mentionem feci, ad quae referendum est. nobis igitur subtractis illis 11 exemplis, ubi litteram — ν adscribendam ostendi, 2820 exempla productionis in sublatione versus restant sive breviter nobis complectentibns inter 3467 exempla a La Rochio allata positionis in extremis vocabulis factae 2 in centena ita cadunt, ut brevis vocalis ante mutae c. l. copulationem in thesi producatur, 16,7 % corripiantur, cetera (81,3) in arsi producantur; sive ut numeros repetam:

apud Homerum in extremis vocabulis brevis vocalis ante mutae c. liquida copulationem

1.	in thesi producitur	68 iens
2.	in thesi corripitur	579 iens
3.	in arsi producitur	2820 iens
4.	littera — ν paragogica restituenda est	11 iens
5.	secreti sunt (cf pag. 10 adn.) loci. .	25 iens
		3503 ,

unde cognoscitur ratio

1. : 2. : 3. = 2 : 16,7 : 81,3.

Redeo ad Archilochum.

nulla dubitatio est de ἐπὶ κρατερήν, ἀπὸ τρυγός, ἐπὶ προβλῆτος, 141 = 109a Hiller-Crusii, trim., neque de περὶ κνήμας 58 (incertae scripturae)[1]) in septenario, το πρίν in trimetro iambico acatalecto, παρήειρε φρένας in dimetro iamb. acatalecto. quaeritur quid de ancipiti loco iudicandum sit: ἄειδε Γλαῦκον, δὲ Κρητικούς, μύροισι γραῦς, με δρῶντα. atque ἄειδε et μύροισι trisyllaba sunt, ergo productio vetatur; iam si memineris apud Homerum vocalem in fine vocis ante mutam c. l. rarius produci quam in mediis vocabulis vel in quinquagesima tantum parte talium vocabulorum productionem adhibitam esse et ante κρ et δρ iuncturas saepe corripi (p. 21, 25, 26 La Rochii): etiam in δὲ Κρητικούς et με δρῶντα voces δέ et με longas esse negabis. nam cum inde ab Homeri aetate mutae c. l. vis

---

[1]) περὶ non traditum, neque dici potest περὶ κνήμας ῥοικὸς ἰδεῖν nec περὶ κνήμησιν, potest velut καί τι καὶ κνήμας ἰδεῖν ῥοικός.

syllabas producendi volventibus annis magis magisque deminuatur, Archilocheum saeculum non ad vim producendi sed corripiendi dumtaxat augendam magis inclinasse confido. sed num idem in ceteris ancipiti loco collocatis syllabis valeat: προβλῆτος, διαπεπλιγμένος, κεκλήσομαι, ὕβρις, νεκρῶν, πέτρης, ego quidem ad id tempus valde haesito, quamquam non ignoro ante πλ, κλ, βρ, κρ in mediis vocabulis vocalem et apud Homerum corripi (cf. La Roche pagg. 3, 6, 8) et apud nonnullos elegiacos et iambographos[1]) et memoria teneo augmenti reduplicationisve vocalem ante mutam c. l. sequentem facilius et lenius corripi. quamobrem de his sex locis ancipiti loco collocatis rem in medio relinquo. sed in extremis vocabulis non produci nisi vi ictus ex tabula praemissa clarissime elucet. Archilochus igitur, ut universum eius usum adumbrem, omissis illis sex vocibus de quibus controversia est, productionem brevis vocalis ante mutae c. l. copulationes non admisit nisi versus ictu sustentatam. in omnium autem elegiacorum antiquiorum reliquiis inde ab Archilocho et Callino usque ad Simonidem

---

[1]) Ante πλ correpta vocalis legitur bis in mediis vocabulis Plato. 30,4 πρω[1]τοπλόου[2] pentam., Aeschyl. 5 ὁπλι[2]τοπάλας[3]. ἁπλῶς fragm. adesp. 11.

Ante κλ Theognis 931 ἀποκλαί[6]ει, 1181 κατακλῖ[6]ναι ('mendosum' Bergk. καταγλῆναι coniecit), 1229 κέκλη[3]κε vocalem correptam in mediis vocabulis habet, quod non mireris apud Lobonem et Sophoclem 5,1 in nomine Σοφοκλῆς.

Ante κρ litterarum copulationem saepe correptio in mediis vocabulis reperitur: Ἰσοκράτους Aphar. orator Athen. 1, ἀκρατῆ Theocr. Ch., Ἄκρων ps. — Empedocl. 1,1, Ἀκραγαντῖνον ibid. ἄκρος eiusd. 1,2; in arsi soluta tetrametri: Κυλικράνων ◡́◡ _ ⏊ Hermipp. 4,1, augmentum et reduplicatio correpta: κέκριται Theog. 1038, ἐκρίθην Astydam. 3., ἐκράτησαν Eurip. 1,1.

Ante τρ fluctuat mensura in voce πατρός — ί, quae prod. vocali semel legitur ap. Theogn. 737, corr. ter ap. Euen. Parrh. Emped., et vocabuli μέτρον, prod. vocali bis ap. Euen. Th., corr. ap. eosdem et Crit.; in iis quae ab his ducta sunt productio semel πατρωΐον Th. 521 et semel πάτραν carm. pop. 29,1, correptio πατρίς Zeux., πάτρης—ας bis (Th. Crat.); semper corripitur vocalis μέτριον Crit., σύμμετρος bis (Soph. Crit.), ἄμετρος bis (Crit.), productio πέτρη bis (Euen. Th.); correptio: Ἰσοκράτους (Aphar.), ἀλλότριος 5 iens (Th. Soph.), ἀτρεμίζειν (Th.), ante stirpem τριβ 6 iens (Th. ps. — Th. Crit. Crat.)

Ceum extant 128 exempla talia, ut in extremis vocabulis brevem vocalem muta c. l. secundae vocis sequantur; et inde a Zeuxide usque ad Cratetem 45. in illis 128 exemplis 53 sunt productionis in arsi[1]), 4 (secundum Goebel p 15) vel, neglectis Sol. 13, 14 τὸ πρῶτον et Theog. 717 ἀλλὰ χρή quae aperte ex poësi epica repetita sunt, 2, correptionis 71.[2]) atque cum illius positionis apud Homerum exempla plurima (81,3 in centena) productionis in arsi factae extent, in his elegiacorum antiquiorum reliquiis longe maxime in thesi ante mutam c. l. corripitur; quod accuratius intellegetur, si numeros adhibuero: 1,6 exempla in centena ita fiunt, ut brevis vocalis in extremis vocabulis ante mutam c. l. sequentem in thesi producantur, 56,3 % corripiantur, cetera 42,1 in centena in arsi producantur. multo procliviores sunt ad corripiendum posteriores inde a Zeuxide usque ad Cratetem. nam cum productionis in thesi nulla, in arsi productae vocalis duo exempla extent,[3]) haec ratio facile cognoscitur: in thesi nusquam producitur, corripiuntur 95,6 in centena, producuntur 4,4 in centena. quibus numeris clarissime demonstrasse mihi videor, ab elegiacis productionem in extremis verbis et in thesi versus ante mutae c. l. copulationes sedulo vitatam esse. — id quod illis poëtis obtrudere quantum piaculum sit nemo non videt. quare Bergkius non est probandus ad Theog. 806 με χρή scribens (libri χρὴ μέν, Hiller-Crusius χρὴ (ἴ)μεν, „hic locus ab aliis aliter tentatus“ Bergk, cf. jahresbericht über die fortschritte d. klass. alt. 1888 p. 151 sq.) neque ad 911 Pseudo-Theognidis εἰσὶ πρόσθεν, quod plane falsum, scribens. „εἰσὶ πρόςθεν O,

[1]) Secundum tabulam Goebelii: Call. 1, Arch. 2, Tyrt. 6, Mimn. 5, Sol. 5, (4,15. 5,4. 13,5. 28 Aristot. Αθ. Πολ ed. Kaibel — de Wil. p 5,4. unde Goebelius p. 14 lin. 16 sic scribere debebat: „Solon in 220 versibus sexiens in extrema voce produxit“), Demod. 1, Sappho 1, Xenoph. 1, Anac. 2, Theogn. 20, Sim. Ce. 9.

[2]) Archil. 1, Sol. 2, Phocyl. 1, Xenoph. 7, Anacr. 2, Er. 4, Theog. 31, Hipparch 1, Simonides 22.

[3]) Goebelium effugit Jonis 2,2: δὲ κρητῆρ' cum pag. 15,6 unus Antimachi locus allatus sit.

legebatur εἰσὶν πρόςθεν (quod recep. Hiller-Crusius), A εισι το προσθεν quod improbandum; fort. δύ 'εἰσ' ἔμπροσθεν" (Bergk.) εἰσὶ quidem in verborum contextum Bergkius recipere non debebat, si quidem recte in fragmenti Asii v. 2, in quo simillima scripturae varietas est: — ἦλθε κν. C (Athenaei), ἦλθεν κνισ. B, ἦλθεν ὁ κν. PVL — ἦλθεν κνισ. scripsit; Hillerus sane utroque loco eandem rationem secutus εἰσὶν πρόσθεν et ἦλθεν κν. edidit; Goebelius (p. 10) autem Mutinensis codicis scripturam εἰσὶ τὸ πρόσθεν tuens articulum τό gravissimum argumentum originis non — Theognideae esse iudicat. eadem de causa Theogn. 564 ἄνδρα χρεών sine synizesi legi necesse est.[1]) et vitiosum apparet versum esse Cleobulinae 3,2 quem Hartung sic restituit: καὶ τὸ κερασφόρον οὖας ἔκατ (!) κρούσιος ἦξεν. nam ι vocalis naturâ brevis nusquam trisyllabum finiens ante mutam c. l. in thesi quarti (quod omnino raro fit) pedis producitur.

Itaque in producendis et corripiendis vocalibus, quae antecedunt mutam cum liquida, Callinus, Mimnermus, Solo eandem atque Archilochus rationem secuti sunt.

De τὸ πρῶτον, Sol. 13, 15 quae apud Homerum sexiens eandem sedem versus occupat, supra dixi (p. 10 adn. 2); simul moneo a poëtis artis vel elegantissimae studiosis regulas alibi semper data opera observatas neglegi, si partes versus pristinorum poëtarum transferuntur sive imitando exprimuntur.

Denique illud adiungo, quod in eodem versu unum vocabulum altero loco producta vocali, altero correpta usurpare, poëtae elegiaci fere prorsus defugerunt; sed ubicunque variatam eiusdem vocis mensuram offenderis, non casui neque levitati poëtae, sed certo consilio tribuendum est, velut manifesto lusu

---

[1]) Aliter Goebel p 15, qui ἦλθε κν. mavult. at ante κν etiam in mediis vocabulis correptio ter reperitur: δάκνομαι Pseudo-Theogn. 910 (de qua quidem mensura Elias Vinetus sic iudicat [in editione herteliana, Basileae 1576 p. 124]: „in verbo autem δάκνομαι liquidam ν esse observato"), καλλιτέκνου Aristot. 2, τὠντικνήμιον Hippon. 6 in choliambo. — sed tamen respuo cum Goebelio consentiens Hartungii et Meinekii coniecturam Th. 351: τί μ'ὀκνεῖς, quam coniecturam a Sitzlero tamquam bene traditam scripturam afferri valde miror.

gavisus est Ps. — Empedocles:

Ἄκρον ἰητρὸν Ἄκρων', Ἀκραγαντῖνον πατρὸς ἄκρου,
κρύπτει κρημνὸς ἄκρος πατρίδος ἀκροτάτης.[1])

Simile παίγνιον Epicharmo tribui solet:

Εἰμὶ νεκρός, νεκρὸς δὲ κόπρος, γῆ δ' ἡ κόπρος ἐστίν.
εἰ δὴ[2]) γῆ νεκρός ἐστ', οὐ νεκρός, ἀλλὰ θεός.[3])

§ 2.

De mensura vocalium ancipitum.

Multa vocabula non modo dialecti ionicae sed omnino linguae graecae modo vocalem brevem modo longam ostendunt, in qua variata mensura non metri licentia sed iustae formae grammaticae legibus respondentes a linguarum scrutatoribus nostrae aetatis patefactae sunt. unde principium eius rei insolitae ducendum sit, G. Curtius (griech. ethym. [5] p. 409) sic profitetur: die laute der sprache als solche nehmen nicht zu, sondern ab, sie wachsen nicht, sondern nutzen und schleifen sich ab, oder anders ausgedrückt, die völker lassen, nachdem der bau ihrer sprachen im wesentlichen feststeht, im laufe der zeiten immer mehr von dem lautlichen gehalt der wörter hinschwinden. ita ex productione, quae vel ab origine erat vel consona aliqua eiecta (καλϝός > κᾱλός W. Schulze qu. ep. 80 sqq., 114 sq.; G. Meyer [3]120) nata est, saepe correptio oritur, saepius etiam poëta in varietate quantitatis vacillavit, nonnunquam nos titubamus inscii quid statuendum. qua in re inquirens cum multas formas, quibus elegiaci usi sunt, solius Jadis proprias, ubi plenius αι

[1]) Pentametri loco antiquitus sic quoque legebatur: ἀκροτάτης κορυφῆς τύμβος ἄκρος κατέχει.

[2]) Verum restituit Kaibel, comicorum graec. fragm. 1899 pag. 145 ('corpus igitur si terra est, dea est').

[3]) Similiter Callimach. Dian. 110 sq., Lucret. IV 1259, Hor. I 32, 11. cf. Dilthey, Call. Cyd.; Schneider, comm. Callim. ed.; Arth. Ludwich, Beitr. z. K. d. N. p. 10 sq., Scheindler qu. Nonn. 1878 p. 65, Schulze qu. ep. 129 sq., quibus addas ex pseudo-Phocylideis 68, 69, 98.

μέτρῳ ἔδειν, μέτρῳ δὲ πιεῖν καὶ μυθολογεύειν.
πάντων μέτρον ἄριστον, ὑπερβασίαι δ' ἀλεγειναί.
μέτρα δὲ τεῦχε θεοῖσι. τὸ γὰρ μέτρον ἐστὶν ἄριστον.

pro α positum videmus (αἰεί, αἰετός, ἀγαίομαι, καίω, κλαίω), aut ει pro ε (εἵνεκα εἰρωτάω ξεῖνος πείρατα χειροῖν πλείων, πνείω δειδιότες εἰαρινός εἰνάλιος κρεῖας λειαίνω ὑπειρέχω χρεῖος εἷς) aut ου pro ο (γούνατα δούρασι κούρη μοῦνος νοῦσος Οὔλυμπος οὐλόμενος οὔνομα ὁ οὖρος τὸ οὖρος πουλύς), J. Gottholdus Renner pertractaverit (Curt. stud. I 170—179), Froehde (B B III), W. Schulze (qu. ep.), O. Hoffmann (ion. dial.) auxerint atque amplificaverint (εἴκελος — ἴκελος), quas nunc missas facere licet, sed quibus ego vocem addo, cuius diphthongus ευ respondet ι vocali: εὐθείαις Tyrt. 4,6, εὐθύνει Sol. 4,37, εὐθεῖαν Sol. 36,17, εὐθυντῆρα Theogn. 40, εὐθύτερον Theogn. 806, (ἰθύτερον Hiller-Crusius) — ἰθύτεραι Theogn. 1026, ἰθείῃ Theogn. 330, ἰθεῖα ibid. 396, 535, ἰθύς adv. Callin. 1,9, ἰθυμάχων Sim. 137,1 (Kaibel εὐθυμάχων, Hiller-Crusius ἀγχεμάχων), ἰθεῖα Arch. 56,1 (coni. Hoffmann, ion dial. 102), mihi relinquitur, ut simplices vocales quae „ancipites" propter ambiguam naturam vocantur, in Archilochi reliquiis indagem et occasione oblata exempla ex elegiacis et iambographis sumpta adiungam.[1])

I. Ac primum quidem

vocalis α

a) semper longa est in

καλός[2]) — ◡ 21,3, καλόν — ◡ 29,2, 77,1

cuius vocis originem veram non ex *καλιός (= kalyas) sed ex καλϝός ducendam certissime Guil. Schulze (qu. ep. 80 sqq. 114 sq.) demonstravit (unde Gust. Meyer[3]). productionem syllabae κα — praeterea his locis repperi:

1. in arsi: Callin. 2,2, Semon. 7,51. 87. Tyrt. 4,7. 10,1. Mimn. 5,3. (= Theogn. 1019) 11,4. Phocyl. 13. Sol. 13,24. Simonid. C. 147,4. Plato 8,1. Theogn. 16. 242. 609. 683. 1047. 1106. 1216. 1251. 1329. 1377. — Aeschrio 1. 4.

[1]) Exiguum vel nullum fructum percepi ex Sitzleri commentatione quae inscribitur „Studien zum Elegiker Theognis" 1895 p 7 sqq.

[2]) Paenultima longa in carminibus homericis, apud Hesiodum bis brevis, semper brevis apud Pindarum et scaenicos, apud Theocritum duodecies longa (ctt. loc. brevis). Cf. Harder, de α voc. p 23, anceps apud Callimachum: e. g. εἰς Δήμητρα 26, 29 (◡), epigr. 30,3 (—).

2. in thesi: Tyrt. 10,30, Sol. 13,40 (in versu spurio). Theogn. 257. 1336. ἐλεγείου B scriptor 1396 (bis). Euen. apud Theogn. 1350. inscript. Thas. s. V. Hoffmann, ion. dial. 68, eundem cf. de Anacreonte et Heronda et Ananio.

Contra brevi paenultima usi sunt: Mimn. 1,6 (ubi Sitzlerus τάλαν', quod improbandum, rectius κακόν, quod emendavit Hermannus). tituli metrici vetust. ap. Bechtelium 53,1. Sol. 13,21, (aliter Hoffmann, ion. dial. 315 seq.), Theogn. 17 (bis),[1]) 282. 652. 696. 960. 994. 1011 („fortasse Mimnermi" Bergk, deest ap. Hoffmannum). 1259. 1280. 1282. inscr. Del, Hoffmann, ion. dial. pag. 31, Simonid. Ceus 100,1 (deest ap. Hoffm.). 156,1 (bis). Plato 7,3. Jo 1,15. Euripides 3,2. Crit. 1,14. 2,19.

3. ancipiti loco: Sem. 7,67 in thesi prima trimetri, Hipp. 90 in thesi quinta tetr. iamb. unde corrigas Hoffmannum.

κιχᾱνω (< κιχ — ἀνϝω Schulze qu. ep. 123 seqq.)[2]): κιχάνει Archil. 54,3.[3])

b) correpta est in

nominis Ἀπόλλων[4]) vocativo: Ἄπολλον ⏑ – ⏓ 27,1 cuius vocis antepaenultima saepe vi ictus producitur in casibus quadrisyllabis, velut

A 21 ἑκηβόλον Ἀπόλλωνα. A 86 οὐ μὰ γὰρ Ἀπόλλωνα.

[1]) De hoc versu disputavit H. Usener, altgr. Versb. p 53. — Quod Sitzlerus suspicatus est: „Ich vermute nun, dass dieser sprichwörtlich gewordene Vers in einem Epos vorkam, das die Hochzeit des Kadmos und der Harmonia . . . besang . . . Der Verfasser des Verses der Theognideischen Sammlung nahm denselben unverändert aus jenem Epos herüber" ex Bergkii adnotatione sumpsit.

[2]) Homerus paenultima, longa, tragici brevi usi sunt: κιχάνω – ⏑ –. Vide G. Meyer, gr. gr. [3] pag. 120 sq.! § 506 adn. 2 ibid.

[3]) Ex ecteris elegiacis et iambicis haec memoro: verbi ἀκολουθέω prima syllaba, cuius de natura in glossariis siletur producto α extat ap. Hipponact. 55 B ἀκολουθήσας. ἄγει Hipp. 11 (vide B. adn. et Hoffmann. p. 310!).

[4]) Semper brevis etiam in casibus tetrasyllabis apud Pindarum, scaenicos, Theocritum. sed interdum etiam in trisyllabis cas. α producitur: Callim Dian. 139, Del. 86. 269: Ἀπόλλων et in tetrasyll. brevis: Ἀπόλλωνος Call., Del. 2. 276. 306. Ἀπόλλωνος Call. Dem. 102. Apoll. 17. 39. 105. cf. Schulze qu. ep. 269—271.

φάος (ἡλίου) 74,3. similiter ἡλίου φάος Semon. Amorg. 1,19. φάος ἠελίου Theogn. 712 (deest apud Hoffmannum p. 454) φάος ἠελίοιο Theogn. 569. 1143,[1]) cuius vocis α producitur in nominativo et accusativo plur. φάεα (φάεα καλά — ⏑ ⏑ — ⏑ π 15, ρ 39, τ 417 [Schulze qu. ep. 206]; cf. περιφάεα κύκλα Opp. Hal. II 6) et in dativo plur. φάεσι (Callimach. hym. in Dian. 71.)

ἄτη ⏑ — 73.[2]) quamquam nusquam fere alibi (at Aesch. Ag. 131 cod. med. ἄτα praebet, quod haud scio an Hermannus et Wilamowitzius iniuria sustulerint ἄγα substituentes) brevis vocalis legitur — unde Hermannus (elem. d. m. p 86) ἄτη corruptum ex ἄλη censet, Schneidewin αὐάτη deleto sc. ἦδ' emendavit, Meineke ἀάτη, Emperius ἡ μάτη — et ipse Herodianus (ed. Lentz I 533,19. II 314,20 et adnot. II 948) productionem testificatus est prioris syllabae, quae his quoque locis habes:

1. in arsi prima: ἄτη (1) Sol. 13,75 (= Theogn. 231). ἄτην (1) Theogn. 206 (exempla ex Theognide sumpta desunt apud Hoffmannum p 320); vel sexta: ἄτη (6) Sol. 13,13, Theogn. 119. ἄταις (6) Th. 631. ἄτης (6) Th. 103.
2. in thesi secunda: ἄτης (3) Sol. 4,36, Theogn. 133. ἄτην (3) Sol. 13,68 (= Theogn. 588),

nihil tamen mutare audeo, praesertim cum Bergkius (in adnot. fr 73 quacum conferas K. W. Krüger Di. § 2, . $7a_2$) et in primis Schulze qu. ep. 443 adn. 1., correptam syllabam vocis ἄτη primam (ᾰτη < *ϝᾰτᾱ) mea sententia recte argumentati sint.

Ἄρης[3]) ⏑ — 3,2 . 62.[4]) Ἄρεω 48. in eadem sede versus Ἄρης ap. Tyrt. 12,34. Pisandr. 4 (Ἄρη). Simon. C. 106,2. 142,2.

---

[1]) Eadem copulatio saepe legitur, et apud Theocrit. XXII 84.

[2]) Longa α voc. semper ap. Homerum, Pindarum, tragicos (cf. ἄνᾱτος Aeschyl. suppl. 410. Agam. 1211).

[3]) Syllaba prior brevis (cf. Harder de α voc. 73 sqq.), sed ab epicis interdum producitur non modo in sublatione (E 827, 829, E 31 Ἄρες Ἄρες κτλ Hesiod. scut 98, 192) sed etiam in positione (Hes. scut. Herc. 59); ap. Pindarum Ἄρης, — Ἄρεος, Ἄρεϊ et Ἄρει cuius paenultima ter producitur, bis brevis est Ne. X. 84, P. XI. 36, semel anceps Js. III 33; pari modo a tragicis producitur in diverbiis et melicis tragoediarum partibus

praeterea brevis α extat Tyrt. 16 (Ἄρεος). Semon. Am. 1,13 (Ἄρει). Anacr. 70 (Ἄρης). Simon. C. 107,6 (Ἄρη[6] in fine pentametri) 140,1 (Ἄρη[6]ος in fine hex.). Plat. 31,3 (Ἄρει[4]) (Ἄρη[5]ϊ φίλου[6] 106,2);

longa in arsi Ἄ[2]ρηο[3]ς Tyrt. 11,7 (scrips. Bergk. et Hiller-Crusius vulgo ὡς Ἄρεως) Ἄρης 6 – Anacr. 100,3. 1 – 101,2. unde intelliges Anacreontem (et Tyrtaeum?) in producenda α vocali non recedere ab Homeri consuetudine, quam cognovit et explicuit Guil. Schulze sic concludens (quaest. ep 456): „si a molossis Ἄρηος Ἄρηϊ Ἄρηα discesseris, productae formae locum nusquam inveniunt nisi in versus aut ingressu aut exitu, unde . . . . colligas vocalem non vere extendi, sed nomen Martis his locis frui primae et ultimae sedium licentia" (sc. aeolensi).

ἀνήρ[1]) ⏑ – 14, 32,1 et eâdem mensura Theog., Sem. Amorg., Anacr., v. Hoffmann 310, Plat. 6,1.

Ἀσίης ⏑ ⏑ – 26. quocum congruit Mimn. 9,2 (Ἀσίην). Crit. 2,6 (Ἀσιατογενής), Simon. C. 135 (Ἀσίας). 142 (Ἀσίας). contra Ἀσίς Simon. C. 142,7. —[2])

---

ap. Aeschylum, ap. Sophoclem nulla in diverbiis reperiuntur productionis exempla, sed unum in anapaestis El. 96 (in thesi), unum in versu molossico Tr. 653, tria in versibus choriambicis Ai. 252, 614, Ant. 139; nulla ap. Euripidem; ap. epigrammaticos ter in thesi: Thall. ep. VI 91, Leon VII. 449, Theon. IX. 491.

[4]) Pro Ἐρξίων ineuntis tetrametri Deuticke (Arch. P. qu. i. gr. litt. s. trib. p. 19) ceteras coniecturas percunctatus ἔρξον οὖν proponit; aliter Hiller-Crusius pag. 7.

[1]) Ap. Hom. et Hesiodum in formis trisyll. semper longa α vocalis, in bisyll. ἀνήρ vi ictus (e. g. B. 1. 553, Hesiod. op. 190); ap. Pindarum paenultima sexiens producitur, bis anceps est: ἀνέρι (1), ἀνέρα (1), ἀνέρες (1), ἀνέρων (3); ap. Theocritum ἄνήρ quinquiens, ἀνήρ ter, ἀνέρος semel, ἀνέρι ter., ἀνέρ' [α] semel, ἀνέρες bis; ap. tragicos α brevi, sed. producto in trisyll. formis epicis ἀνέρες et ἀνέρων, quarum ap. Sophoclem tria sunt exempla (Tr. 1010. Ph. 709, OR. 869) in melicis, nulla in diverbiis. cf. Harder de α vocali 98, quem correxit Schulze qu. ep. 460 sqq.

[2]) Iam ex cett. elegiacis et iambogr. haec animadvertenda videntur: Ἀΐδης ⏑ ⏑ 6 Plat. 11,2, Mimn. 2,14, Tyrt. 12,38 (Ἀΐδη[6]ν), Ἀΐδα[3]ο Crat. 14,2, Ἀΐδ[5]αο Theog. 244, 427, 906 (corrigas Hoffmannum 319), Plat. 12,5, Aristot.

II. vocali υ

a) longa utitur Archilochus in nomine Γύγης – –, ut in trimetro hoc

οὔ μοι τὰ Γύγεω τοῦ πολυχρύσου μέλει fr. 25.

eandem rationem habent Hipponax fr. 15:

καὶ σῆμα Γύγεω,

poëta anacreonteorum fr. 7:

οὔ μοι μέλει τὰ Γύγεω,

Homerus (Y 391 Γῡγαίῃ),

Vergilius, Aen. IX 762:

'principio Phalerim et succiso poplite Gȳgen
excipit',

Horatius, carm. II 5,20:

luna mari Cnidiusve Gȳges,

ibid. III 7,5:

Gȳgen? ille Notis actus ad Oricum[1])

contra Hesiodus corripit υ theog. 149:

Κοττός τε, Βριάρεώς τε, Γύγης θ'ὑπερήφανα τέκνα,

cum Gygen illum gigantem maximum et centimanum filium Coeli et Terrae, fratrem Briarei appellet (Gy̆ges = Gy̆es); atque hunc modum poëtae Romani sequuntur, cf. illud Horatii hendecasyllabum:

nec, si resurgat, centimanus Gy̆ges

(II 17,14) ubi Nauckius emendavit „Gy̆es", Kiessling cum Lambino Gyas scripsit. Ovid trist. IV 7,18 fast. IV 593.[2])

6,12 (in carmine melico). Ἄϊδεω Theogn. 1124. ◡ ◡ 3 Th. 703, 1014, ◡ ◡ 6 Sol. 24,8 (= Theogn. 726), Th. 802, Simon C. 99,4, frag. adesp. 2B,2. — contra principalem productionem (de qua G. Meyer, gr. gr. [3] § 117) servarunt: Ἀΐδης – ◡ – Semon. Am. 1,14. 7, 117 et Theogn. 917 Ἄϊδος – ◡ ◡ et Anacreo 43,5.

Μάλιον = μᾶλλον Tyrt. 12,6, quocum conferas G. Meyer [3] p. 489 et Hoffmann p. 305.

[1]) Falso igitur Pape (Wörterbuch der griechischen Eigennamen, Braunschweig 1884 p 261) ponit υ huius nominis a poëtis romanis corripi. — at Alex. Aet. 7,6 (Hartung) μείζονα καὶ Γύγεω 4 ◡ ◡ 5 ◡ ◡ 6 in fine pentametri.

[2]) Productio gravissima, vel potius coruptela, extat Semon. Am. 17: δρσοθύρης, quam etsi Guil. Schulze (qu. ep. 5[1]) recte ex - θυρjα deflexit,

b) brevi:

ὕδωρ ⏑ – 93,1;[1]) sicut Theognis ὕδωρ 1245 (⏑ 2), 448 (⏑ 3), 961 (⏑ 4), 882 (⏑ 5), 960 (⏑ 6), Critias 7,6 (⏑ 2); paenultimam produxerunt Mimnermus 12,7 (ῡ̆δωρ) et Simon. C. 88,1 (ῡ̆δατος); et correpto et producto υ legitur ap. Xenophanem (ῡ̆δωρ 1,8. 20 [editionis Hilleri]. ῡ̆δατος 23 [editionis Hilleri]; ῡ̆δατος 21 [ed. Hiller.], ῡ̆δωρ 29 [ed. Hiller.], ῡ̆δωρ 4,2 in thesi secunda pentametri.)[2])

c) ancipiti loco:

ὀϊζύς ⏑ – ⏓ fr. 52 quarta thesi tetrametri, cuius vocis vocalis thematica secundum Herodianum (ed. Lentz I 527,4) ab origine longa erat[3]) (Hartel, hom. stud. I₃ 104. G. Meyer, gr. Gr.[3] § 319) ἀχλύν ⏗ ⏓ fr. 103,2 tertia thesi trimetri. quae vox ab origine producto υ extat ap. Critiam 2,11 quarta arsi:[4])

τεύχουσιν · πρὸς δ'ὄμματ'ἀχλὺς ἀμβλωπὸς ἐφίζει.[5])

---

non alteram difficultatem expedivit lege porsoniana religiosissime in Semonidis iambis observata — hic neglecta et eadem de causa Hoffmannum (p. 383) respuo.

[1]) υ inde ab Homero, qui 'ὕδατος in solo initio, ὕδατι in qualibet versus sede, ὕδωρ nonnisi in clausula produci sinit' (W. Schulze qu. ep. 440), in sublatione versus saepe producitur. Pindarus et scaenici solam correptionem admiserunt, ap. Theocritum primae syllabae vocalis producitur undeciens, quattuordeciens brevis est.

[2]) Variatam mensuram etiam habes in verbo φύω, cuius υ natura breve esse docent hom. φυτόν, φύσις, φυτεύω (Schulze qu. ep. 317), φυόμενα (5 6) Sol. 4,36 (metri causa productum), φύονται (1 2) 1 – 2 frag. adesp. 1,2 (serioris originis indicium) φυομένῳ (5 6) Th. 1134 (metri causa), φύεται 4 ⏑ ⏑ Th. 537: iuxta φύεται Theogn. 1164, ἐμπεφύῃ Th. 396 (suppl. W. Schulze 331 sqq).

[3]) Productionis exemplum bene traditum praestat Hesiodus th. 214 in thesi quarta hex.

Δεύτερον αὖ Μῶμον, καὶ Ὀϊζῦν ἀλγινόεσσαν.

[4]) Productio in IV thesi ap. Hom. Υ 421:

κάρ ῥά οἱ ὀφθαλμῶν κέχυτ' ἀχλῦς· οὐδ' ἄρ' ἔτ' ἔτλη.

[5]) Huc referenda est productio υ vocalis in voce ἰσχύν ap. Sol. 27,8 thesi prima pentametri:

ἰσχῦν, ἥντ' ἄνδρες σήματ' ἔχουσ' ἀρετῆς.

productiones huius generis animadvertuntur usque ad Nonni tempora, cuius ab aetate sola correptio regnat. cf. Rzach, neue Beitr. zur Technik des nachhomerischen Hexameters. Ac. Vindob. 1882 p. 347 sqq.

III. vocalis ι.

a) longa est in vocabulo ἵλαος[1]) 75,2. similiter ἵλαος Theogn. 782, cuis antepaenultimam corripi posse Christius (met. d. gr. u. r. p. 17) contendit.[2])

In voce ἐγκυτί – ◡ – fr. 37 vocalis ι longa habita videtur esse non modo vi ictus, sed propterea, quod ι vocalis ει diphthongo respondet, ita ut iota sit natura longa, id quod mihi etiam ex interpretatione Etym. M. apparere videtur: „Ἐγκυτί ἐπίρρημα σημαῖνον τὸ ἐν χρῷ" i. e. ἐν κύτει. nam cum adverbio ἐγκυτί certus quidam modus et ratio tondendi significetur, illis adverbiis ad modum quendam et rationem pertinentibus addendum est, quae enumeravit Gust. Meyer (gr. gr. ³ p. 455 sq.), sicut in Homero ἀνιδρωτί Ο 228, ἀναιμωτί Ρ 363, ἀνουτητί Χ 371, ἀνωϊστί ἀσπουδί αὐτονυχί Θ 197, ἐγρηγορτί Κ 182 μεταστοιχί τριστοιχί (Hartel H. St. I ² 107) et in Alexandrinis ἀναιμωτί αὐτονυχί μουνονυχί ἀκρονυχί ἀνιδρωτί ἀκλαυτί (Callim. III 267 ubi libri ἀκλαυτεί), ἀφρικτί Callim. Dian. 65. τετραποδί (Rzach, neue beitr. z. t. d. n.-h. hex. p. 336 sq.), quibus accedunt ἀνοιμωκτί Soph. Ai. 1227 (Lobeck commentar.), ἀσυλεὶ καὶ ἀσπονδεί titul. Amorg. (Meisterh. 115,8) νηποινεί Amphipolitanus (a. 350 a. Chr.), ἀκονιτεί Rhod. (432/24 a. Chr.) (Meisterhans). ἀσύλι καὶ ἀσπόνδι inscr. aeol. Coll. I 312, ἀσπόνδει inscr. aeol. Coll. I 315 ἀσυλὶ καὶ ἀσπονδί inscr. Tel. Coll. 3487 ἀμυστί Anacreonteorum 8,2. 17,2, quorum in producta vocali ι Rzachius recte quidem monuit vel ap. Homerum reliquias tantum priscae vetustatis prosodiae servatas esse. itaque Bergkius, quem offenderat productio satis insolita, collato Joann. Alex. 38,20: ἐγκυτίς, ὃ χωρὶς τοῦ σ Καλλίμαχος εἶπεν · σὺ δ'ἐγκυτὶ τέκνον ἐκέρσω ◡ – ◡ ◡ – ◡ ◡ – – ἐγκυτίς[3]) coniecit.

---

[1]) Seidler ἵλεως coniecit, fortasse recte, vid. G. Meyer, gr. gr. ³ § 138, Renner in Curt. stud. I 1,219 (Fick, Hoffmann, Hiller-Crusius ἵλεως). sed conferas pag. 31, adnot. 5.

[2]) Conferri potest ἵληθι γ 380, ἵλᾱθι in inscriptione metrica Paria (CI. 2388, 8,13), Simon C. 49, Theocr. XV. 143, Apoll. Rhod. IV 1014, 1600. ἱλάσκομαι Pind. Ol. VII. 9 et ἱλάονται Β 550. ἱλάσκεο Theocr. Ep. XIII1.

[3]) De σ littera adverbiis modo addito modo dempto cf. G. Meyer ³ pag. 395, Herodian ed Lentz II 220 adnot. lineol. 7; minus colligi potest ex Herodian. I p. 505. 511,23. 536,19. II 464. 19,19.

sed quamquam in illis adverbiis saepissime — ι corripitur, velut semper in ἑκοντί ἀκοντί ἐθελοντί ἕκητι ἀέκητι; ἀμογητί Λ 637. Callim. Dian. 25. ἀσταχτί Soph. OC 1251. ἐγερτί Ant. 713 (G. Meyer l. c.); ἀμετρί orac. ed. Hendess. 102. πανδημί Anthol. V 44,3 (Rzach p. 337); quibus addo: ἀμισθί ⏑ – ⏑ Archil. fr. 41 et titulum anni 304a. Chr. n. cf. Meisterhans p. 115,8 et titulus cret. ἱρωστί Sem. Am. 24,2. ἀπονητί Eurip. 3,4. (Bergk. [4] p. 266 vel ἀκονητί sive ἀκονιτί? W. Schulze 353.) ἀμαχητί Φ 437 ('locativus' cf. Schulze qu. ep. 450) μεγαλωστί Π 776. μελεϊστί Ω 409. ἐγκονητί Pind. N. III 36. ἀπτωτί Pind. Ol. IX 92. ἀβοατί Pind. N. VIII. 9. ὀνομαστί Call. εἰς Δῆλ. 224 (et in titul. attic. anni 424 a. Chr. cf. Meisterhans p. 115) ἀνυβριστί (?) Anacr. 63,5 (Pauwius duce codice et postulante metro — στως): coniectanea tamen refuto, quamdiu scriptura tradita argumentis confirmari potest. quare ego ex animi mei sententia productionem tueor, sed ἐν κύτει praeopto sic mecum reputans: nam cum Lycophro alexandrinus, quem summo studio maximaque cum diligentia orationem suam locutione quam doctissima et exquisitissima potuit exornasse constat, fortasse istum ipsum Archilochi locum respiciens vocem κύτος adhibeat nec non cum compositio verborum ἐν χρῷ κείρειν structura tritissima sit (adeas lexica s. v. cf. εἰς χρόα κειράμενοι Hegesipp. 5,4 Hartung), etiam in Archilochi sermone κύτει tamquam dativum verum et iustum intellegendum atque ita (κύτει — utrum ἐν an ἐγ malis nihil interest) cum diphthongo scribendum esse mihi videtur plane apparere.

ἵημι[1]): συνίετε (σ littera scribendum[2]) „audite" fr. 50 in tetrametro. praes. med. productam antepaenultimam animad-

[1]) Syllaba prima ap. epicos plerumque brevis (Γ 152 ἱεῖσιν. Ζ 330 μεθιέντα), longa in formis praes. et imperf. medii (Ν 291 ἱεμένοιο), ἵει Γ 221 Π 152, ἱεῖσαι μ 192, ἀφιεῖσαι η 126, ἱέμεναι s. ἵέμεν; ap. Pind. brevis, excepto ἱέμενοι; ap. scaenicos longa, sed corripitur interdum (Aesch. Spt. 310, 493, Eur. J. A. 298) epicorum exemplo in verbo simplici pariter atque compositis non solum in versibus dactylicis, sed etiam iambicis cf. Thesaur. vol. IV p. 554.

[2]) Archilochus praeter ξυνά, ξυνός, ξυνωνίην formas a littera ξ incipientes non usurpavit; nam et ceteris locis semper σύν (συγκεραυνωθείς 77,2. συλλεγέντα vel συναχθέντα 142. σύμβολον 44. σύμμαχος 75,1. σύν 4,1. συνάγῃ

verti: ἱέμενοι Mimn. 16 ('brevium numero sat excusata' W. Schulze 438), Simon. C. 107,2. ἱέμενον Theog. 1064; correptionem his locis: ἵῇσι Theog. 94. ἱέναι Simon. C. 107,8. συνῖεῖν Theog. 565, 1237. ξυνίει imperat. Th. 1240b (ubi cod. Mut. συνιδεῖν).[1]

b) corripitur in

πρίν[2]) 94,3. A 14; cuius ι ab origine longam esse ad persuadendum accomodate demonstraverunt G. Curtius, Knös (de dig. Hom. 346), Rzach (p 358), G. Meyer [3] § 115 adn., qui cret. πρείν (inscription. Gortyn.) confert, Brugmann (in J. Müller, Handbuch II 113, 225)[3]). Archilochi rationem sequuntur Mimnerm. 3,1

3,2. συνέδραμεν 52. συνείληφας? 143. συνήντετο 89,5.) extat et uno loco 4,1 (quocum conferas locos Semon. 7,86. Tyrt. 10,6, quibus numeri σ litteram desiderant) metri necessitate solum σύν legi potest, unde controversia dirimitur.

[1]) In elegiacis et iambicis nonnumquam inconstantia est inter ϊ et ῑ et ει: ἀελπτίης, Archil. 45,3 (cf Pind. Pyth. XII 31, ubi Schroeder, Pind. car. Lps. 1900 pag. 270 ἀελπείᾳ reposuit). ἀναιδείην Archil. 78,5: ἀπιστίῃ, Theogn. 831, δουλείῃ, Th. 535, δουλίην Sol. 36,11 (ita Aristot. ΑΘΠ), ἀτιμία Tyrt. 10,10, ἀϊδρίῃ Sol. 9,4, πολυιδρείῃσιν (libri ῑ) Th. 703, χαχεταιρείης Th. 1169, προεδρίην Xenoph. 2,7 τυραννίης Xenoph. 3,2, αἰθρίην Sol. 13,22 vide G. Meyer [3] p. 183 et Bergkium PLI 41, qui recte monuerunt — ια non ex — εια ortum esse, sed ἀναίδεια et ἀναιδία, δουλεία et δουλία, alia, dispares formas vocabulorum esse a diversis stirpibus seorsim derivatas, velut δουλεία a δουλεύειν, δουλία a δοῦλος et ad eundem modum alia; sed deinde poëtas potissimum analogiae speciem secutos talia pro arbitrio variare solitos esse. — Iam hic memoro productionem insolitam ἴομεν Sol. 2,1.

[2]) Ap. Homerum correpta ι: δ 32, 212, 668, κ 393, ρ 597, B 344, 354, 413, Γ 132, Δ 144, E 127, 472, Z 125, I 403 (τὸ πρὶν ἐπ' εἰρήνης, πρῖν ἐλθεῖν υἷας Ἀχαιῶν), N 257, Φ 476, Ω 800; longa ι in sublatione δ 254, λ 632, ν 192, ξ 334, ο 210, 394, ρ 105, σ 402, τ 291, 475, B 348, H 390, Θ 474, Π 839, Φ 179, 340, Ω 245, 764: rarius in positione tertii pedis versus δ 668, Z 81, [schol. B. Heph. p. 117 W. explicatur regula, cur πρίν hoc loco producatur sic: τοῦ γὰρ πρίν τὸ ι συστελλόμενον ἐμηκύνθη διὰ τῆς ἐπιφερομένης (sc. περισπωμένης), non bene], I 403, N 172, Π 322, 840, X 156 quibus locis G. Hermannus (ad. Orph. p 700 de metr. p. gr. et r. p 71) πρίν γ' coniecit, ν 113, P 5, Φ 225, X 17 productio vi digammi orta est; ap. Pindarum brevis; ap. Theocritum ter producitur, bis in arsi (XXV 221 πρὶν ἰδέειν _ ◡ ◡ _ et 258 πρὶν ἔμ' ἱκέσθαι _◡ ◡ _ _) semel in thesi (XXV 263 νωσάμενος, πρὶν αὖθις); poetarum atticorum productiones adverbii πρίν erroribus librariorum ortae videntur esse cf. Thesaur. l. G. vol. VI, p 1591.

[3]) Idem sentit A. Ludwich, Arist II 363, aliter Hartel I[1] 452 s. I[2] 110, ι a principio brevem tueri conatus est Hilberg, princ. d. silb., fortasse

τὸ πρῖν ἐών. Theogn. 57, 483 (τὸ πρὶν ἐών), 502 (καὶ πρῖν ἐόντα), 917, 963. Simon. C. 117,4 πρῖν ἰδεῖν, productionem adhibuit Tyrtaeus 14: πρῖν ἀρετῆς.

In dativo sing. III. declin., sicut Δήμητρῖ fr. 82 huius casus ι vocalis natura brevis (cf. W. Schulze qu. ep. 229 sqq.) interdum 'solo ictu' producitur in eius modi formis, 'quae dempta productione in versum includi nequeunt'. tales voces, quas ex Homeri carminibus Hartel h. st. I [2] 56 sqq. collegit,[1]) rarissime saltem etiam in cetera poesi archaica deprehenduntur (sexiens secundum Rzach p. 332), in elegiacis et iambographis nusquam. etenim Solo 27,7 (quod carmen genuinum esse sunt qui negent futtili causa nisi, cf. Usener altgr. vrsb. p. 52 adn. 19, Lucas, st. theogn. 1893, p 3): 'τῇ δὲ τετάρτῃ πᾶς τις ἐν ἑβδομάδι μέγ' (aliter apud Philonem qui eodem ac Clemens auctore usus est) ἄριστος' productionem vi et ictus et liquidae sequentis excusari apparet,[2]) quemadmodum alibi saepe semperque vi ictus ante liquidam consonam fit et in extremis vocabulis: παρὰ ῥηγμῖνα Archil. A 11 ἐπὶ ῥυτίδων Plat. 30,2. ἄπο ῥύπον Sem. Am. 7,63. δὲ λήγοιμεν Theogn. 999 (ita exhibent codd. Theognidis praestantissimi A et O quod deliberandum, cum λήγω recte ex antiquiore * σλήγω deducatur.) (Archil. 8,2: ἐπίρρησιν, Aeschyl. 3,2 μοῖρα, πολύρρηνον πατρίδᾰ ῥυομένους) et in mediis vocabulis μέν Plato 7,1 (quod optimo iure tuetur Rzach p. 363). γάρ: Mimn. 12,1 (ubi Bergk. et Hiller-Crusius Hermanni emendationem receperunt, Hoffmann γὰρ λέλαχεν coniecit); ἄγαν Theogn. 219 (cuius syllaba altera fortasse natura longa); νόον ἔχε Theogn. 461 ubi fortasse, si paradosis recte se habet (vide Bergkii adnotationem! Hiller-Crusius: νό [ημ'] ἔχε), eiecto spirante σ ansa productionis quaerenda est (Rzach p. 384, 412). ἄμετροι Simon. C. 174,2 aperte corruptum (corrigunt

ductus Etym. M. p 405,33: πᾶν μονοσύλλαβον ἐπίρρημα ἢ φύσει ἢ θέσει γίγνεται κατ' ἰδίαν μακρόν . . . χωρὶς τοῦ πρίν. dubitationem profert et W. Schulze, qu. ep. 422: 'de origine voculae πρίν non ita constat, ut de quantitate certum iudicium ferri queat, haud male tamen inseri γ' iussit Hermann'.

1) E. g. ὑπερμενέϊ φίλον εἶναι B 116, διῖ φίλε A 74 (W. Schulze p. 231!)

2) Similiter ὕδατῖ producto ι ante liquidam insequentem ap. Theocritum.

ἁμέτεροι), unde G. Meyer gr. gr. ³ p. 376 suppleri potest; neque mihi opponi debet:

βακκάρῑ: Semon. Am. 16,2:

καὶ βακκάρῑ· καὶ γάρ τις ἔμπορος παρῆν,

Hipp. 41: . . . βακκάρῑ δὲ τὰς ῥῖνας,

ἤλειφον,

(his duobus locis in nonnullis apogr. βακκάρει legebatur) ubi contractio efficiens est productionis causa. at cum producte olim etiam ultimae syllabae stirpium in ι vocalem desinentium sive rarius in mutam dentalem exeuntium pronuntiarentur in casibus nominativ. et accus. et vocat. (— ις, — ιν, — ι), in Archilochi, cett. iambographorum et elegiacorum fragmentis nullam iam productionem certam reperire potui. ancipiti enim loco vocabula πόλις ⏑ ⏓ 9,2, πόλιν ⏑ ⏒ 129, et πάϊ ⏑ ⏓ 70,1 et ὕβριν – ⏒ 35, et ῥάχις ⏑ ⏓ 21,1 collocata sunt, sed brevem vocalem habes: μάντῐς in fragmento quod Blass (in annalibus philologiae vol. 129 p 496 = Hiller-Crusius fr. 101) Archilocho tribuit vers. 1 et Mimn. 3,1,[1]) εἴκασιν (dub. fide) – ⏖ sive ἴησιν (coniec. Toup.) – – ⏑ 42,2. Ἄρτεμῐ Theogn. 11, λίην[2]) fr. 66,7. item Theogn. 372, 478, 559, 593, 840, 887; ancipiti loco trimetri Hipp. 20,1; at Theogn. 1327 Beckerus pro λίην sagacissime λείαν coniecit (recte Hiller-Crusius λείην).

ἀντηρός[3]): antepaenultimam naturaliter longam corripuerunt[4]) Archil. fr. 10 (ἀντηρά). Euen. 8 (= Theogn. 472). Theogn. 276,

---

[1]) Ap. Homerum semper in arsi πόλῑς Z 152, πόλῑν Π 57, πρῆξῑν γ 72, πάῑς X 92, μῆτῑν, ὄῑν, θοῦρῑν, Θέτῑ, Σ 385, 424, Ω 88 (Ω 104, Θέτῐ); in thesi ἦνῐν γ 382. K 292, βλοσυρῶπῐς Λ 36, cf. Hartel h. st. I² 105 sq. Knös, de digammo Hom. p. 333 sqq. G. Meyer gr. gr. ³ pag. 417/8, quae accedunt ex poëtis posteris collegit Rzach, n. b. p. 356 sqq. W. Schulze qu. ep. 424/6.

[2]) W. Schulze 504, quem non respexit Hoffmann 348. — Attici ultimam syllabam secundum Aristoclem (Herodian I 526,2) producebant. in καὶ λίην copulatione voc. semper ap. Hom. longum ῑ (e. g. A 553), in thesi praeterea θ 231, ο 405, π 86, cett locis longum in arsi, breve in thesi; ap. Pind. et Theocr. prior syllaba longa; ap. Soph. anceps. v. Thesaurum vol. V. p 270.

[3]) Huius stirpis ι ap. Homerum et Sophoclem longum, ap. Eurip. et Aristoph. breve (Eur. Med. 1095 ἀντᾰρόν anapaest.), ap. Pindar. Theocrit. cett. anceps.

[4]) Herodianus (II 16,33) vocales ιη ex ιᾱ trope ionica ortas esse docet.

compar.: Κύρν' ἀνῑηρότερον Theog. 896 (sic in omnibus libris praeter cod. Mutinensem), superlat.: ἔστ' ἀνῑηρότατον Tyrt. 10,4. Κύρν' ἀνῑηρότατον Theogn. 812. τοῦτ' ἀνῑηρότατον Theogn. 124, 210, 258, 1356, eiusdem stirpis: ἀνίην Theogn. 76, ἀνῑῶν ἀνίας Th. 344, ἀνίη Th. 872 (lesbiace ὀνίαισι Sapph. 1,3. G. Meyer [3] § 55), ἀνιᾶν: ἀνία Th. 1032, ἀνῑᾶται Sim. C. 121,1. ἀνῑήσει Plato 8,3. ἀνῑώμεθ' Crat. 19,4 in trim. ἀνῑώμεθα Theogn. 655. ἀνῑήσεαι Th. 991, ἀνῑῷτο Th. 1205; productionem adhibuerunt ἀνιηρή Sol. 13,15, ἀνίας Theogn. 1337 (cf. W. Schulze 295), ἀνῑήσῃ Phocyl. 16, ἀνῑῴμην Th. 668.

ἀμφιτρῖβας 134: de ι vocali paenultimae Herodianus (ed. Lentz-Lehrs II 9) sic agit: τὰ εἰς ιψ μονοσύλλαβα ἐκτείνεται. ὁμοίως καὶ ἐπὶ γενικῆς . . . τὰ δὲ ὑπὲρ μίαν συλλαβὴν συστέλλεται. Θέλουσι δὲ πεδότριψ ἐκτείνειν, πλανώμενοι ἐκ τοῦ παρ' Ἀρχιλόχῳ· ἄνδρας (sic D. et Lehrs, sed A. et B. et Par. et cod. Hermanni ἄνδρες) ὡς (quod delevit Lehrs, exhibent D. B. Par., A ἐς, cod. Hermanni εἰς) ἀμφιτρίβας (A. B. D. Par., Hesych., Lehrs, cod. Hermanni ἀμφίτριβας proparoxytonōs). itaque ἀμφιτρίβας aut – ⏑ ⏑ ⏓ aut – ⏑́ ⏑ ⏓́ acuas necesse est. mihi vero

ἄνδρας ὡς ἀμφιτρῐ́βας

legendum videtur, ut sit finis iambi. correpta enim paenultima τρῐ auctoritate formarum simillime deductarum nititur velut οἰκοτρῐβής – ⏑ ⏑ – Crit. 2,14, ἰσοτριβής ⏑ ⏑́ ⏑ ⏑́ Aeschyl. Ag. 1443, πεδοτρῐβής Nonn. D. X 310, περιτρῐβής Anth. VI 63,6, Plautus 'ulmitrĭba', quamquam etiam ἄνδρας ἐς ἀμφιτρίβας legi potest, ut sit hemistichium pentametri. neque enim in brevi antepaenultima quicquam offensionis inest, cum omnibus locis antiquae poëseos elegiacae huc spectantibus ante stirpem τριβ corripiatur: Theogn. 55, 417. 1105, Ps.-Theogn. 921, Crit. 2,14, Crat. 4,4 cf. pag 13 adn. 1.

Gravius est quod corripuit Archilochus vocabuli πέρδιξ in accus. sing. paenultimam: πέρδῐκα[1]) 106, quae a ceteris poetis

[1]) Syllabam mediam casuum obliquorum longam esse observant Choeroboscus (corp. Gramm. Graec. vol. IV. ed. Alfr. Hilgard Lps. 1889 pag. 292): Ἰστέον δὲ ὅτι τὸ Φοῖνιξ καὶ πέρδιξ καὶ τέττιξ (cf. Archil. fr. 143) ἐν μὲν τοῖς πλαγίοις ἐκτείνουσι τὸ ι, τουτέστι φύσει μακρὸν αὐτὸ ποιοῦσιν, et

semper producitur, sed paenultima brevi etiam Epicharmus usus est (fr. 84, Kaibel, comic. gr. fr. 1899 pag. 106).

ἱερήν[1]) 18,1, quocum consentiunt ἱερῶν Sol. 4,12, ἱερῶν Anan. 1,3, (scrips. Bergk.). ἱερά Simon. C. 144,2, ἱερήν Sim. C. 151,1; priores duae syllabae in unam longam coalescunt ap. Sem. Am. 7,56 ἱρά.[2])

c) et producte et breviter pronuntiatur ab Archilocho syllaba paenultima comparativi

κακίων ⏑ ⏓ –[3]):

οὔτε τι γὰρ κλαίων ἰήσομαι οὔτε κάκῑον θήσω fr. 13.

ἐρρέτω· ἐξαῦτις κτήσομαι οὐ κακίω 6,4, sicut in Theognide οὔτι κάκῐον 811, 1175, κάκῑον 21, κακίων 262, 411, κακίους 1111, item variatur in comparativo καλλίων (exempla ap. Schulze, qu. ep. 300).[4])

Athenaeus IX 388 f. sq: τοῦ ὀνόματος ἔνιοι συστέλλουσι τὴν μέσην συλλαβήν, ὡς Ἀρχίλοχος· πολὺ δέ ἐστι τὸ ἐκτεινόμενον παρὰ τοις Ἀττικοῖς. Σοφ. ἐν Καμικίοις.

Ὄρνιθος ἦλθ' ἐπώνυμος

Πέρδικος ἐν κλεινοῖς Ἀθηναίων πάγοις.

[1]) De ῐ Herodian I 530,11, G. Meyer[3] § 94 p 158/9, Ψ 195 ἱερά καλά, μ 362 ἱεροῖσιν; ap. Homerum et Theocritum prima h. v. syllaba producitur, ubicunque tertia syllaba brevis est. de littera ε vel servata vel extrita cf. Thesaur. vol. IV 544; de origine et notione vocum ἱερός et ἱερός plane segregandarum vide egregiam sagacissimamque explanationem Guil. Schulzii (qu. ep. 207—216) qui omnia absolvit. — Hoffmann, ion. dial. 276.

[2]) Denique observes τίει, ἀτῖεῖ (sic scrib. cum desendat ab *ἀτιής Schulze 65) Theogn. 621 (cf. H. Usener, alt. V. p 52, G. Meyer[2] pag. 129; ap. epicos in arsi longum. raro etiam in thesi; ap. cett. poët. semper breve e. g. Δ 257 τίω) cuius v. ancipitem ι vocalem praestat Herodian. II 592. — Κρονίδης Euen. ap. Theogn. 1346. — Χῖος 'nomen incolae' (Bergk. Χίου scrips. ut sit nomen insulae) Demod. 2,2.

[3]) Homerus et epici paenultima fere semper (sed videas Schulze qu. ep. 300 adn. 1) brevi utuntur, attici fere semper longa, cf. Spitzner, griech. prosodie § 46. Schulze qu. ep. 300 adn. 4.

[4]) Ex ceteris elegiacis haec memorabilis varietas: ἰητρόν ps. — Empedocl. 1,1 (p. 260 B.), ἰατρόν eiusd. 2,1; ἰήσομαι Archiloch. 13, τίνονται Theogn. 204, ἀποτῑνυμένου Theogn. 362 (ubi 6 codices ἀκοτιννυμένου exhibent, quocum conferend. G. Meyer[3] § 493): τίνουσιν Sol. 13,31, ἀντιτίνειν Theogn. 740 („fortasse Solonis" probabiliter) inter quas formas similis ratio intercedit atque inter φθίνω ionum et φθῖνω atticorum, cf. G. Meyer § 293, W. Schulze 108; quamquam enim utraque forma ad stirpem τῐ =

IV. o — ω.

Iam commenmorandum est Archilochum 'κατ' Ἰάδα διάλεκτον' o voc. productam servasse in nomine Dionysi:

ὡς Λιωνύσου[1]) ἄνακτος καλὸν ἐξάρξαι μέλος 77,1.

quod apud Lesbios Ζόννυσος sonasse videtur (G. Meyer [3] pag. 381). cum hac formula similitudinem habet Λιωνύσοιο ἄνακτος Sim. C. 172,3, Διωνύσου Theogn. 976, Διωνύσῳ Anacr. 108,3; sermonis scilicet attici consuetudinem sequuntur Jo. 1,1 (Διόνυσος), Dionys. Ch. 5,1, (Διονύσου) alii. in inscriptione amorgina saeculi VII a. Chr. Διενύσω(ι) legitur (= Hoffmann p. 28, 48), Anacr. 2,11 Δεύνυσε cf. Hoffmann p. 262 sq. 581. (!)[2])

V.

Corripiuntur interdum etiam diphthongi et longae vocales ante vocalem sequentem non modo in extremis vocabulis (qua de re § 3, III dicam) sed etiam in media voce, quamquam perraro (G. Hermann el. d. m. p. 44.) ita tamen Archilochus

---

sscrt. ci, V. classis, quae vulgo 'sadi' dicitur, revocari debet, unde ab origine *τίνϜω ortum est (cf. *cinoti s. cinvati*), discrimen est inter formationem atticam et ionicam, eo quod iones littera Ϝ eiecta vocalem antecedentem producunt, apud atticos illa productio suppletoria non pollet. — πίομαι Theogn. 962, πίομαι Theogn. 1129, πίεται Jo. 2,10; cf. W. Schulze p. 357, 359. — ἶσος Sem. 7,36, As. 1, ἶσον Sol. 24,1 (= Theogn. 719), Theogn. 82, 106, 544, Jo. 8,4, Hippon (?) 2. ἴσως Theogn. 224, 271, ἰσομοιρίαν Sol. 34,9 (Arist. Α Π XII): ἴσος Theog. 678. ἴσου Eurip. 1,2, quae vox, lesbiace ἴσσος, ex antiquiore stirpe ϜισϜο = sscrt. 'vishu' nata est. cf. W. Schulze, 88, 142, Hoffmann ion. dial. 372.

1) ω ap. Boeotos, Homer., Hesiod., Pindarum, Theocritum, tragicos.

2) Litterae o gravissimae productiones tres inveniuntur: ἀρχόμενος οὐδ' Theogn. 2 (cod. Venet. Marc. γ'οὐδ'; cf. Hartel, Wiener stud. I 2), quae productio satis fulcri habet et forma vocabuli paeonica — ◡ ◡ ◡ (cf. Hartel H. St. I [2] 116: Knös de digam. hom. 351; W. Schulze p 8) et caesura pentametri; εὔβουλος εἶλεν ⊥ — ⊥ — ⊥ Theogn. 329 (Bergk. καθέλεν scrips.), ubi difficultas expeditur nobis in sententiam G. Meyeri (gr. gr. [3] § 478 adn.) euntibus, qui docet εἶλον e stirpe antiquiore Ϝελ natam esse collata radice 'var vrnote' significatione 'deligendi, capiendi, praeferendi', ita ut propter digammum eiectum productum sit; πόρνος ἐπαγαλλόμενος — ⊥ ◡ ◡ ⊥ ◡ ◡ — Crat. 7,4 (scrips. Bergk. probabiliter Hiller-Crusius πόρνης tenet) ubi metro labanti incisio semiquinaria subvenit. — Postremo vocalis ε productio importunior extat Simon. C. 107,9: τοδὲ γέρας, quae dubiae paradosi tribuenda est (v. Bergkium et Kaibelii de hoc poemate dubitationes).

vocalem η quae εὑρίσκεται . . ἁπλῶς ἐν μέσῳ λέξεως κοινή . . . ὡς καὶ . . ἥρωες Tyrt. 17[1]) breviavit in Θρῆϊξ C 48:

εἰς Θάσον φ . . .[2]) Θρέϊξιν[3]) δῶρ' ἔχων ἀκήρατον

et in ἠχήεις:[4])

ἐνάλιον καί σφιν θαλάσσης ἠχέεντα κύματα

74,8, ubi vulgo ἠχήεντα (Fick ἠχέηντα) legitur. cum hoc correptionis genere magnam similitudinem habet Sem. Am. 7,57 χαιτέεσσ' ubi B χαιτήεσσ' Aeliani codd. χαιτήεσσ' (Fick et Hoffmann χαιτέησσ') et Tyrt. 4,2 τελέεντ' ἔπεα. num etiam Tyrt. 12,12, Mimn. 14,9, Simonid. 136,3 correpto η legendum sit δηΐων, quem ad modum Nauck Mél. IV 127 et Ludwich Arist. h. t. II 294 de B 415 δηΐοιο, B 544 δηΐων, Ι 347 δήιον all. falso (cf. W. Schulze p 86, qui ap. Homerum e. g. δάϝιον πῦρ scribi iubet) iudicaverunt, mihi valde dubium est, cum praeferam ι litteram apud elegiacos non tamquam vocalem iusto pondere sonantem sed quasi semivocalem pronuntiare δηίων = δηjων (nisi forte totum ι in pronuntiatione opprimi mavis). neque adversantur δήϊον 7 ◡ 8 Sol. tetram. 34,2, vel δηΐῳ 4 ◡ ◡ Tyrt. 11,18 δαΐῳ – ◡ ◡ Sim. 144,4 nec δουλήϊην – 7 ◡ 8 Anacr. tetram. 114,2. sed confirmatur haec sententia voce Ἰόλαος, quae nisi primam litteram semisonantem enuntias trimetro hymni fr. 119 accommodare nequis.[5])

---

[1]) Hephaest. schol. A p 108 W. ἡρῶος ζ 303, exempla vocalis ω in hac voce correptae collegit G. Meyer [3] pag. 201 adn. et pag. 214, quibus addas γῆς ἀπὸ πατρῴης in fine pentametri. C. J. A. I. 477,1 (s. VI a. C.), Meisterhans p. 10.

[2]) F. Leo (de Horatio et Archilocho p. 5) φυγάς coniecit.

[3]) ΘΡΗΙΞΙΝ in lapide; sed etiam in frg. 32 Θρέϊξ restitui posse Hillerus de Gaertringen monet.

[4]) cf. ad hanc vocem Eur. Her. 995 penes Elmsleium, G. Hermann de metr. p 118, el. d. m. p 86 ἠχέοντα s. ἠχόεντα suspicatus est.

[5]) In vocabulo ἵλᾰος litteram α breviatam etiam post Hoffmanni disputationem tenere malim: ἵλᾰος γενοῦ κτλ _ ◡ _ ◡ _ fr. 75,2. Seidler ἵλεως coniecit (cf. G. Meyer [3] § 138). nam raro in usu apud iones antiquiores fuisse tales formas docent nos similes velut Ἰόλᾱος 119, Χαρίλᾱε 79,1 quod nomen vel Herodotus Χαρίλεως dicit (Hoffmann p. 516!). λᾱός: Call. 1,18, Tyrt. 11,13. 12, 24, (Hoffmann Callino et Tyrtaeo ληός affert p. 306), Xen. 2,15, Theogn. 53, 776, 781 (ληός Hipp. 88!) illud ipsum ἵλᾰος Theogn. 782. His duo tantum loci obstant καρδίης πλέως Archil. tetr. 58,4,

Vocalis ω correptionem habes propter dialectum in vocabulo ζοός,[1]) quod a librariis fere ubique etiam metro obstante in ζωός mutatum est:

γίγνεται˙ χάριν δὲ μᾶλλον τοῦ ζοοῦ διώκομεν 63,2

(ubi vulgo ζωοῦ, sed recte a Porsono emendatum). similiter vulgo Semon. Am. 1,17 ζώειν et Herond. 1,4 ζωῆς legitur, quamquam metrum ζόειν et ζόης postulat, quod optimo iure omnes editores in contextum receperunt (Fick-Hoffmann ζόην pro ζόειν). itaque correpta tantum forma quam illi loci tuentur, cum metrum productionem respuat, iambographi usi sunt. et ipse Herodotus ζόη pro ζωή scripsit. quodsi Hermannus (de metr. p 118 Orph. 721) pro certo habet correptionem nullam esse in eo versu, errore captus est.

Iam autem cognoscimus librarios etiam poëtarum tragicorum vocem ζόη ubique metro ipso repugnante ζωή rescripsisse (Dindorf lex. Sophocl. p. 209) qua de causa ii tres versus simul argumento sunt non recte Hermannum (Grotium secutum) tertium versum eiusdem fr. 63 ita corrigere voluisse (de metr. p. 118):

ζώοι ανθρωπών καχιστα τῴ θανοντι γίνεται,

cum abhorreat a ratione poëtae nostri paenultimam producere. plane vero malim Porsoni

οἱ ζοοί˙ κάκιστα δ'αὐτῷ (αἰεί Hiller-Crusius) τῷ θανόντι γίγνεται.

Diphthongi si corripiuntur in mediis vocabulis,[2])

λαγώς Hippon. 36,1 quibus Rennerus (stud. I. 219) πλέος, λαγούς genuina habet. iam cum paenultimam huius vocis producte dici testetur Choeroboscus (B. A. 1383 quocum conferas A 583 ἵλᾱος, Hes. E κ H 338 ἵλᾱον, Theocr. V. 18 alios. neglexerunt productionem: I 639 σὺ δ'ἵλᾰον ἔνθεο θυμόν. T 178 ἵλᾰος ἔστω. Pindarus Ol. III. 34, ἵλᾰος ἀντιθέοισιν, P XII. 4 ἵλᾰος ἀθανάτων. Theocrit XXVII. 15 ἵλᾰος Ἄρτεμις εἴη, Sophocles OC 1480, Aristophanes, Callimachus in Dian. 129 ἵλᾰος all., cf. Thesaur. vol. IV. p 579), scripturam ἵλαος genuinam habeo.

[1]) de quo vide Thes. IV p 55, Krüger Di. § 2, 6, 4. § 22, 10, 3. Brugmann MU 1,8 (Reisig, enarratio Oedipi Colonei p CLI) Hoffmann, ion. dial. 281, 510, 524.

[2]) De huius modi correptione disseruit G. Meyer [3] griech. gr. §§ 154, 155, 157 quem de mediis vocabulis sequor, haud plane probo de correptione, quae in extremis vocabulis fit ('hiatus debilis 'quae vocatur) post Joannis Lucae disputata (stud. theognid. 1893, pag. 47—50), qui argumentum grave contra Hartelii (h. st. III 41) sententiam mihi videtur protulisse.

secundum elementum ι vel υ consonantis vice fungi inter omnes fere viros doctos nunc constat, velut

1. αι = αj: γεραιούς Tyrt. 10,20 quocum conferas δικαίαν ◡ ◡ — in epigrammate s. III a. Chr. apud Kaibelium 95,4.

2. οι = οj: τοιούτοις Semon. Am. 7,70, τοιῷδε Ps.-Theogn. 928, καταγλοιοῦ Semon. Am. 8, ἀδοιάστως Anacr. 95, ποιεῖν Cleobulinae 7,1, ἐποίησεν Simon. C. 157,3, ποιήσας frag. adesp. 11 B, ἐξεποίησ' in epigr. s. V (Kaibel 759,3).

3. ευ = εụ: θηρεύει Hippon. 22 A, εὔωνον Hipp. 22 B, λεύειν Hipp. 22 C (Choerobosci in Hephaestionis enchiridion commentarium ed. Hoerschelmann; in Anecd. var. gr. ed. Studemund. Berol. 1886 p. 45). sensim in nonnullis vocabulis illius secundi elementi vis adeo imminuitur, ut plane exstinguatur et abiectis ι vel υ prima sola vocalis superstes sit. ita evanuit ι:

ει diphthongi: κέαται Archil. 169 — κείαται ⏊ ◡ ◡ Mimn. 11,6, πλέος 58,4 tetram., πλέον Semon. Amorg. 1,10 trim. Sol. 32.4 tetram. — πλεῖον Sem. Am. 2,2, πλείονα Theogn. 702, πλείω Theog. 907.

Haec hactenus. sequitur ut

§ 3.

de hiatu

pauca disseramus.

Hiatus sive concursus vocalium qui fit, si 'duae partes orationis ita coëunt, ut altera in vocalem desinat et altera incipiat a vocali'[1]) in 25 hexametris Archilochi octiens (1,1. 2,1. 3,1. 3. 5. 6,1. 9,9. 13,1.),

in 21 pentametris quinquiens (3,2. 6,4 bis. 9,2. 17,2),

in 50 trimetris bis (27,2. 29,2),

in 69 tetrametris quater (54,2. 70,3. 74,9. 77,1),

in 67 versibus iambicis et dactylicis epodorum ter (84,3, 90, 97,1) in ceteris vv. iambicis sive trochaicis ἐξ ἀδήλων εἰδῶν semel (140) invenitur.[2]) simulque hiatum solum legitimum admissum esse intellegemus.

---

1) Mar. Victorin p 66 (Keilii).

2) Etiam fr. 15, 17—19 quorum „admodum dubia auctoritas" est (Bergk), praetermittere nolui. Archilocho vindicantur a Paulo Deutickio

I.

Primo enim hiatus legitimus ante vocabula, quorum ex initio consona aliqua (vel digammum vel alia spirans l.) antiquitus plene sonans eiecta est, quae ne in epico quidem sermone adici solebat, id quod primus Bentleius comprobavit.[1]) itaque hiatus fucosus, quem dicam, ab Archilocho, qui huius generis rationem homericam imitatus est,[2]) amotus videtur in his versibus

εἰμὶ δ'ἐγὼ θεράπων μὲν Ἐνυαλίοιο ἄνακτος 1,1
ὡς Διωνύσου ἄνακτος καλὸν ἐξάρξαι μέλος 77,1

ubi Athenaei codex Marcianus Διονύσοιο exhibet, quod si quis tenere voluerit, duobus argumentis uti poterit. aut ο finale semisonans esse (G. Meyer ² § 152) — quod in extrema voce ut credam adduci non possum — aut ι semivocalis vice fungi Διωνύσοιο ἄνακτος = Διωνύσοjο ⏑ ⏊ – ⏑́⏑ ⏑ – ⏓ quemadmodum Hartel h. st. III 9 Αἰόλοιο κλυτὰ δώματα κ 60 restituere voluit (G. Meyer ³ § 154).[3]) sed ne ita quidem, cum ne paululum quidem veri simile in hac coniectura perspiciam, mihi persuadetur obsoletam terminationem — οιο, quae neque unquam in sermone vivo neque inde ab Homeridarum aetate nisi in formulis et certis hexametri (— non pentametri —!) pedibus usurpata est (G. Meyer ³ § 344 „οιο bei Homer ent-

(Archilocho Pario quid in graecis litteris sit tribuendum, p. 20: „tria tantum eius epigrammata fr 17—19 servata esse magnopere dolemus") et a Vittorio Graziadei (Archiloco, studiato nei suoi frammenti, in annalibus qui inscr. Rivista di Filologia classica p 473, 495 sqq.)

[1]) De Ϝ ap. elegiacos v. Hartel III. 83.

[2]) Sermonem Archilochi cum homerico satis congruere Deutickius in dissertatione, quam attuli (p. 16 sqq.) compluribus exemplis illustrat. — De veterum epicorum carminium studio Archilochi amplius disseruit Otto Laeger (de veterum epicorum studio in Archilochi, Simonidis, Solonis, Hipponactis reliquiis conspicuo) et sententiam Deutickii multo magis confirmavit. — Neque hac de causa minime Archilochus a Longino philosopho (de sublim. 13,3) ὁμηρικώτατος, a Dione Chrysostomo (oratt. 55,6 p. 284 R) Ὁμήρου ζηλωτής nominatur.

[3]) Alia de causa Otto Laeger p. 37 Διωνύσοιο ἄνακτος tuetur ex similitudine epitheti cum hymn. 34,5 cui locutioni dactylus in III. tetrametri troch. pede obstat. sed in tetrametro Archilochum dactylo usum esse Hermannus ipse negat (de metr. p. 118).

schiedene antiquität". A. Ludwich A. h. t. II 121, 380), in iambis vel tetrametris admissam esse, e quibus magis quam aliunde genus vivae in poësi vocis cognoscitur. neque mihi W. Schulze (qu. ep. 101 c. adn.) persuasit Bergkii coniecturam commendans Διωνύσοι' ἄνακτος, cui Fick, Hoffmann, Kaibel assentiuntur, cum genetivos in οιο (αο εω) terminatos a trimetris et tetrametris prorsus prohiberi velim.[1])

Quibus disputatis Διωνύσοιο corruptelam habendam et in Hermanni coniectura

Διωνύσου ἄνακτος

quam et Hiller-Crusius (1897) tenent adquiescendum esse demonstrasse mihi videor.

Διωνύσοιο ἄνακτος Simon. C. 172,3. τε ἀνάκτων Jo. 1,3, alia ap. Rennerum p. 148, Kühner-Blass, gr. gr. I [3] 197.

οἱ (cf. Hoffmanni sagacem explanationem ion. dial. 558): ῥοδῆς τε καλὸν ἄνθος, ἡ δέ οἱ κόμη 29,2, et in eadem sede versus: ἡ δέ οἱ σάθη 97,1, exempla a Rennero collecta (p. 149) sunt, quibus demas Mimnerm. 12,9.

Ut repetam: vi digammi (ut ita breviter dicam, at cf. Hoffmanni de ἡ δέ οἱ disputata) excusatur hiatus in Archilochi reliquiis quater[2]) et ita, ut

1. longa vocalis vel diphthongus, qua vox finitur, in arsi producta servetur (semel),
2. hiatus in thesi post breves vocales prohibeatur (ter.).

At non iam breves syllabae in consonam exeuntes huius litterae vi in arsi (ap. Homerum 359^iens^) aut thesi (Hartel h. st. III 72 sqq.) producuntur neque longa vocalis sive diph-

---

[1]) Attamen, num Hermannus (orphic. 721 sqq., epit. doctr. metr. § 81) et Mommsenius (adnot. crit. ad Pind. p. 161) recte exposuerint illarum terminationum (αο, οιο, εω) ultimam non licere elidi nisi in Pindari epiniciis, mihi post Schulzii disputationem valde dubium videtur, quamquam ad Hermanni regulam iudicia diriguntur ab J. G. Renner (Curt. stud. I. 1,208), L. Müller, metr. d. gr. u. r. p 50, W. Christ (metr. d. gr. u. r. p 35 § 47), Rud. Westph. et Hug. Gleditsch (allg. th. d. gr. m.[3] p 121).

[1]) De digammi vestigiis exempla, quae ceteri poëtae elegiaci et iambici produnt, collecta sunt ab J. H. Henrico Schmidt „griech. metrik" p. 178 sqq. J. G. Renner, Curt. stud. I 1,145, 147 sqq., Hoffmann, ion dial. p. 556 sqq.

thongus, in quam vox desinit, in thesi producta obtinetur (ap. Homerum 164 iens). praeterea illis quattuor exemplis ex adverso posita sunt undeviginti exempla digammi neglecti. noviens enim elisio vocalis praecedentis admittitur:

ἄγρει δ'οἶνον ἐρυθρόν 4,3.
κλῦθ' ἄναξ 75,1 (libri κλῦθι).
χαῖρ' ἄναξ 119 (plerique libri χαῖρε; sed incerta omnis horum verborum memoria).
σὺ δ'ἔργ' ἐπ ἀνθρώπων ὁρᾷς 88,2.
ὑφ' ἡδονῆς σαλευμένη κορώνη 102 (G. Meyer [3] § 247).
δ'ἡδύ 74,9. (?).
πόλλ' οἶδ' ἀλώπηξ 118 (dubia fide!).
μετ' ἀστῶν 63,1.
κατ' οἶκον 33.

Deinde nusquam breves syllabae in consonam exeuntes producuntur, sed earum correptio noviens remansit:

κρύπτωμεν δ'ἀνιηρὰ Ποσειδάωνὸς ἄνακτὸς[1]) 10.
οὐδέ τὶς ἀστῶν 9,1.
κορωνὸς, ἔργων 39,2.
ἕωθὲν ἕκαστος ἔπινεν 83.
ἄψυχος, χαλεπῇσι θεῶν ὀδύνῃσὶν ἕκητι 84,2.
μήτε νικηθεὶς ἐν οἴκῳ καταπεσὼν ὀδύρεο 66,5.
φαινόμενον κακὸν οἴκαδ' ἄγεσθαι 98.
ταῦτ' ἐθέλοιμ' ἂν ἰδεῖν A 12.
χρυσὸν · οἰκείῳ δὲ κέρδει ξῦν' ἐποίησαν κακά C 48/9 (= Fr. Leo, d. H. et A. p 5).

Tum semel correptio diphthongi ante vocem digammo antiquitus instructam admittitur:

ξιφέων δὲ πολύστονον ἔσσεται ἔργον 3,3.

Iam hiatus fucosus extat fr. 119:

αὐτός τε καὶ 'Ιόλαος αἰχμητὰ δύο. at non de digammo cogito. quamquam enim hoc nomen apud Pindarum quater digammatum extat,[2]) Archilocho tamen, apud quem vestigia illius spirantis l. non

---

[1]) Sic. restituerunt Liebel et Schneider.

[2]) Bergk ad. P. IX. 79 „Pindarus", inquit, „scripserat Ϝιόλαον vel ϜιόλαϜον, quem admodum in vasculo Aeginetico (Mon. Inst. Arch. III. tab. 46), ϜΙΟΛΑϜΟΜ legitur". ϜΙΟΛΕΟΣ etiam in alio vasculo inventum

nisi in formulis epicis idque raro deprehenduntur, ut ratio consonae vivae, ut ita breviter dicam, et extinctae sit 4 : 19, talem licentiam obtrudere non licet. omnium autem minimam probabilitatem habet κἰόλαος, quod Elmsleius et Rossbachius olim scripserunt, cum καί rarissime (in omnibus scriptoribus graecis quater tantum, cf. § 6 huius commentationis) cum ι per crasin coalescat, nec magis placet κᾀιόλῃος Fickii. lenissime vero omnis difficultas sanatur dummodo primam litteram ut semivocalem eloquaris Ἰόλαος = jόλαος (cf. § 2 V p. 31), quem ad modum in hexametro ap. Paus. V 1 Ἰάσων et Arist. equ. 407 Ἰουλίου legitur, unde trimeter integer:

αὐτός τε καὶ Ἰόλαος αἰχμητὰ δύο
_ 1 ◡ | 2 | ◡ 3 ◡ | 4 _ 5 | ◡ ⏓

(sed incerta omnis horum verborum memoria!).

Idem fortasse iudices de

κλῦθι (sic omnes libri) ἄναξ fr. 75,1

χαῖρε ἄναξ 119,2 quod omnes codd. prodiderunt, et per synalipham κλῦθι ἄναξ et χαῖρε ἄναξ legas. sed cum nec libri nec lapides (Meisterhans [2] § 23) in hac re mediocrem constantiam promant, tale quid praecipere mihi periculosum (ne dicam temerarium) videtur, quamquam sine dubio G. Meyer [3] pag. 225 verum vidit.

II.

Secundo hiatus in versibus cuiusvis generis admittitur, si ultima vocalis prioris vocabuli elisa est,[1]) ut

γαῖ' ὑπένερθεν ἔχεις 17,2 in altero hemistichio pentametri.
δι' ὀστέων 84,3 dimetr. iamb.
καὶ φρονεῦσι τοῖ'. ὁκοίοις 70,3 tetram.

neque a caesuris arcetur:

σήμαινε καί σφεας ὄλλυ' | ὥσπερ ὀλλύεις 27,2
πόντος, ἀμφὶ δ'ἄκρα Γυραῖ' | ὀρθὸν ἵσταται νέφος 54,2,

ubi Bergk Γυρέων, sed Γυραῖ' ex accuratissima collatione codicis oxoniensis, qui γῦραὶ exhibet, recte restituit A. Ludwich

---

est, quod describitur in 'Gerhard. annal. inst'. III p. 152, et Ϝιόλεως C. J. (ed. Boekh) IV 7559.

1) ὅτε συγκρουσμὸς καὶ συνέχειά ἐστι συναλοιφῆς γινομένης (Hesphaest. schol. p. 101 W.)

A. h. t. II 653 (Hiller et Crusius AL 1897 Γυρέων retinuerunt, quod miror). in media pentametri

μηδὲ θύραζε κέλευ' | οὐκ ἐθέλοντ' ἰέναι Euen. ap. Theogn. 468.

III.

Tertio hiatus legitimus est, si longa vocalis aut diphthongus finalis ante vocalem initialem in thesi dactyli corripitur,[1]) quod maxime diphthongis αι, οι, ει, ου rarius longis vocalibus η, ω et diphthongis ῃ, ῳ accidere solet:

ῥόπτρῳ[1] ἐρειδόμενον 90.
δεσπόται[1] Εὐβοίης 3,5 hex.
τέρψεται[4] οὐδὲ πόλις 9,2 pent.
κτήσομαι[4] οὐ κακίω 6,4 pent.
τανύσσεται[4] οὐδὲ θαμεῖαι 3,1 hex.
ἥσομαι[4] οὔτε κάκιον 13,1 hex.
ἔσσεται[5] ἔργον 3,3 hex.

Saepe etiam interpunctione mitigatur, quae accedit, vel ut schol. ad Hephaestionem (p. 100 W) verbis utar ὅτε στιγμὴ ἐπιφέρεται αὐτῇ τῇ μακρᾷ:

ἐρρέτω[1] · ἐξαῦτις 6,4 pent.
σφενδόναι[1], εὖτ'ἂν δή 3,2 pent.[2])
μεμαγμένη[4], ἐν δορὶ δ'οἶνος 2,1 hex.
ἀγάλλεται[4], ἥν παρὰ θάμνῳ 6,1.
ἐπαμείψεται[4] · ἀλλὰ τάχιστα 9,9.

E numeris, quos superscripsi, elucet, qua in sede versus huius modi correptio licita sit: in diaeresi trochaica[3]) primo pedi soli eique rarissime conceditur et hexametri et utriusque pentametri partis.

Quod quidem hexametri ita compositi, velut

[1]) „Vocalis ante vocalem corripitur." Hephaest. schol. A. p 98 W = Γεωργίου τοῦ Χοιροβόσκου Ἐξήγησις εἰς τὸ Ἡφαιστίωνος ἐγχειρίδιον ed. Hoerschelmann (in anecd. var. gr. ed. Studemund 1886 p. 39,9): εἰ γὰρ λήγει (sc. μακρὰ συλλαβή) εἰς φωνῆεν καὶ τὴν ἑξῆς ἔχει ἀπὸ φωνήεντος ἀρχομένην, κοινὴ γίνεται.

[2]) Heph. schol. p. 101 W.: ἐὰν αὐτῇ περισπωμένη ἐπιφέρεται quae lex iam dudum iure a viris doctis explosa est.

[3]) De hiatu trochaico primum scr. Kaibel (ind. lect. gryph. 1885); elegiacos perscrutatus est omnes Georgius Wentzel, 'de duobus locis Callimacheis'.

Νείλου ἐπὶ προχοῇσι Sol. 28

Φοίβου ἀκούσαντες Tyrt. 4,1,

in Archilochi reliquiis exemplum nullum extat, profecto casui tribuas; sed sententiae meae prorsus respondet illa penthemimeres dactylica:

ῥόπτρῳ ἐρειδόμενον 90,

quacum conferas

ἥσθαι, ἀτὰρ πόλεμος Callin. 1,4 pent.

Μοῖραι ἐπικλώσωσ' Callin. 1,9 pent.

δείξει ἀληθείης Sol. 10,2 pent.

χώρου ἀφ' Ἑσπερίδων Mimn. 12,8 pent.

quae sunt exempla hiatus trochaici omnia ex elegiacis antiquioribus sumpta. In diaeresi dactylica pedi primo sive hexametri (3,5) sive utriusque pentametri hemistichii (3,2. 6,4; 9,2. 6,4) et quarto hexametri (3,1. 13,1. 2,1. 6,1. 9,9) et rarius quinto hexametri (3,3) conceditur. at nunquam, etsi omnes elegiacos perlustraveris, talem vocalem longam vel diphthongum in thesi productam invenies. nam Theogn. 288 σῶσαι οἱ, cui medela ad id tempus reperta non est, indoctae veterum librariorum neglegentiae debetur.[1])

IV.

Quarto etiam caesurae vis et arseos ad hiatum defendendum sufficit. sed ubi primum eius exempla ad unum omnia ex Theognide et posterioribus sumpta esse animadverteris, Archilocho, qui tale quid prorsus fugit, et antiquioribus elegantiae te daturum credo. fragmenta quae extant celeriter percurrens enotavi mihi haec:

πολλοὶ γὰρ πλουτοῦσι κακοί, ‖ ἀγαθοὶ δὲ πένονται Sol. 15,1 (= Theog. 314) in caesura semiseptenaria.

ταῦτ' ἐσορῶν κραδίῃ ‖ εὖ πείσομαι incisione semiquinaria Theogn. 977, ubi rectius in Mutinensi libro κραδίην legitur.

[1]) De hiatus debilis, quem vocant, usu ap. Homerum et omnes elegiacos graecos summa cum diligentia egit Lucas, st. theogn. 1893 p. 45—70, et omnia absolvit, sed repugno viro doctissimo, de raritate hiatus trochaici ap. elegiacos antiquiores (p. 60) quam 'mero casui' tribuere vult; v. infra quae de hexametro disputavi. — de τοι cf. J. La Roche, metr. exc. z. Hom. II p. 7—9 (in 'stud. Vindob.' 1896).

κεῖσαι δ'εὐρυχόρῳ[3] | ἐν πατρίδι incisione semiquinaria (Plat.) 7,5, cuius hiatus asperitati vel eo venia parata est, quod iota dativi non plane obfuscatum est (G. Meyer[3] § 117). eodem modo excusatur θαλερῷ[4] | ἐπτύξατο (ἐπτήξατο A — ἐπήξατο C: corr. Casaub. ἐπορέξατο Lobeckius) πήγει

Jo. 1,5 in caesura semiseptenaria incisioni semiquinariae adiuncta.

κεφαλῇ[4] | ἰθεῖα πέφυκεν in caesura semiseptenariae semiquinariae adiuncta. Th. 535.

σεῦ | οὐ τυγχάνω αἰδοῦς[4] semiseptenariâ Th. 253 (Bergk. adnotat: οὐ mihi videtur subditicium, poëta φίλε opinor scripserat. — Lucas cum Cobeto σεῦ νῦν legit.).

Etiam pentametri in arsi hiatus, sed raro, admittitur: σῷ ἀγαθῷ τε νόῳ Theogn. 1052 ubi Bergk. monet, iota dativi notam non plane obmutuisse; sed verborum ordo improbabilis. καὶ βιότοῦ[5] ὀλίγος Simon. C. 85, 12 (Bergk. et H.-Crusius coniecturam Stephani βιότοι' receperunt).

κουριδίῃ[5] ἀλόχῳ Th. 1126 falso coniecit Bergk.

V.

Iustus hiatus apud Archilochum in iis tantum vocibus fit, quarum syllaba finalis elisionem non nisi raro admittit. sed quandoquidem talis concursus vocalium semper summae offensioni fuit, si illae vocalis in thesi collocatae erant, laudi omnibus elegiacis tribuatur, quod tali licentiae non indulserunt. atque etiam a thesi trochaica Archilochus eiusmodi hiatum exclusisse putandus est, cave enim utaris exemplo incertissimo, ἡδὺ ἦν 74,9.

a) hiatus in υ vocali:

[φίλτερ̣ ἠπείρου γένηται, τοῖσι δ'ἡδὺ ἦν ὄρος 74,9 (locus ab aliis aliter temptatus, v. Bergkium, Hillerum, Crusium, Hoffmannum)].

b) Similiter ι vocalis elisioni refragatur (quod quidem ex Archilochi paucis fragmentis non probatur.

1. περί:

ἄνδρ' ἀγαθὸν περὶ ᾗ πατρίδι μαρνάμενον Tyrt. 10,2 (homerice).

2. dativi singularis olim naturâ longi (Hartel h. st. I[2] 58):[1])

[1]) Raro (noviens deciens) ap. Homerum tale iota tollitur, La Roche h. u. p. 126, ap. atticos tolli omnino negat Nauck, Soph. OC 1436 Trach. 675.

χόρτον ἐμῇ συνεχῶς δότε γαστέρι, | ἧτε μοι αἰεί Crat. 1,3. Anacr. 112,1 Bergkius litterarum vestigia premens sic restituit Τέλλιδι ἱμερόεντα κτλ sed tamen, cum mihi displiceat eiusdem vocalis repetitio, Reiskii Τελλίᾳ praeopto (ita et Hiller-Crusius).

Inde scripturae varietati Archil. 2,1, quam Synesius sic protulit:

ἐν δορὶ μέν μοι μᾶζα μεμαγμένη, ἐν δορὶ οἶνος (ap. Athen. recte δ'οἶνος)

species sola veri affertur.

3. ἐπόμνυθι:

μήτι θεοὺς ἐπίορκον ἐπόμνυθι. | οὐ γὰρ ἀνυστόν Theogn. 1195 ubi fortasse est qui ex tomes bucolicae vi excusationis causam ducat.[1])

c) atque etiam o vocalem poëtae gravantur elidere in imperativi clausula — εο:[2])

ὦ παῖ, μὴ κώμαζε, γέροντι δὲ πείθεο ἀνδρί Theog. 1351 (si integra haec).

VI.

At omnino omnes poetae hiatum ab incisione pentametri tetrametri trimetri prohibuerunt.

Ceterum in finibus versuum hiatus et syllaba anceps admittuntur non modo in metris κατὰ στίχον repetitis sed etiam in epodis,[3]) quae binos versus impares habent (Mar. Victorin p. 76 K, Hephaestion p. 71 W: ὅταν μεγάλῳ στίχῳ περιττόν τι ἐπιφέρηται),

a) μέλει — οὐδ' 25 } trimetr.
κόμη — ὤμους 29
καταυανεῖ — ὀξύς 61
χυχώμενε — ἀνα . . . 66 } tetram.
ὀδύρεο — ἀλλά 66
γουνουμένῳ — ἵλαος 75
μέθυ — οὔτε 78
Πεισιστράτου — ἄνδρας C 46

[1]) cf. Christ, metr. [2] § 214 p. 179.
[2]) v. Bergkii adno. ad Theogn. 1351.
[3]) Christ. metr. [2] § 418 et pag. 616.

b) ὅδε dim. iamb. — ὡς trim. iamb. 86 σάθη trim. iamb. — ὡσεί dim. iamb. 97	συστημ. ἐξ ὁμοίων.
συνάγῃ — ἐν 3 μέλεα — Ἥφαιστος 12 θάμνῳ — ἔντος 6 ἐκείνῃ — ἐρρέτω 6	eleg.
Κηρυκίδη trim. — ἀχνυμένη penthemim. dactyl. 89 ἠθροΐζετο trim. — ἐν penth. dact. 104 πόθῳ dim. iamb. — ἄψυχος hexap. dact. 84 ἀκρασίῃι penth. dact. — ἄκρον trim. A 10	epod.

neque interesse videtur post priorem (5iens: 97, 6, 6, 89, 104) an post alterum versum (5iens: 86, 3, 12, 84 A 10) hiet.

Quae cum ita sint, primum videmus in fine uniuscunque versus (etiam dimetri iambici: cf. Christ. [2] pag. 354 § 414) ab Archilocho et hiatum et syllabam ancipitem admissa esse;[1]) deinde quod Christius metr. [2] p. 41 dubium reliquit nunc certo constat: Archilochum et omnes elegiacos et iambographos concursum earundem vocalium prorsus defugisse. proinde cave ne Hermanno auctore (de metr. p. 81) in eiusdem vocalis repetitione hiatum nihil duri habere opineris, praesertim cum etiam exempla ex Homeri carminibus sumpta[2]) pauca sint.

Quoniam hiatus saepissime ν̄ ἐφελκυστικῷ removetur, placet ut disseram

§ 4.

de ν̄ paragogico.[3])

I. Littera ν paragogica in versuum exitu admittitur

a) ubi versus subsequens a vocali incipit ter:

9,5 hex. (κακοῖσιν), 78,4 tetram. (παρήγαγεν), 83 (in fine primi coli ἔπινεν, simul interpunctio gravior).

---

[1]) Mar. Victorin: scias autem in ommi metro novissimam syllabam ἀδιάφορον id est indifferentem esse.

[2]) Geppert, z. f. gymn. XIX. 896.

[3]) Exclusi ab hac quaestione voces in — θεν exeuntes (κατόπισθεν 81 ὑπένερθεν 17,2, ἀπόπροθεν 25,4, ἔωθεν 83 et σφιν 74,8, 125 et ἄμμιν.

b) ubi maior interpunctio est 5^{iens}:

16 hex. (δίδωσιν.), 64 tetram. (ἀνδράσιν.), 70,3 tetram. (ἔργμασιν.), 83 ithyphall. (βακχίῃσιν.), 138 iamb. (ἀπέθρισεν.).

c) post leviorem interpunctionem, ubi in fine comma positum est bis:

59,1 tetram. (ποσίν, ad separandum relativum enuntiatum), 103_2 trim. cat. epod. (ἔχευεν, ante additamentum participii).

d) nulla pausa adhibita rarissime semel:

11,1 hex. (πελάγεσσιν).

Casu videtur accidisse, quod nullus trimetri vel pentametri exitus littera ν paragogica adornatus est velut in trimetris Semon. 1,23. 7,5. 14,1. 16,1. 21.

II. In mediis versibus duplici modo adhibetur

a) ad hiatum prohibendum 13^{iens}:

ter in hexametris et pentametris 9,4. 12,2 (bis),
quinquiens in trimetris 21,2. 25,4. 84,2. 97,3. 125,
quater in tetrametris 66,3. 6. 70,3. 74,1,
semel in penthem. dactyl. B 4.

b) ad positionem **in arsi** efficiendam 7^{iens}:

semel in tertia arsi pentametri 7 (δυσμενέσ^{3}ιν),
semel in prima trimetri arsi B 5,
quinquiens in tetrametrorum
secunda arsi, semel: 74,6 (ἀνδράσ^{2}ιν),
tertia arsi, bis: 56,2 (ὀρθοῦσ^{3}ιν),
66,6 (χαρτοῖσ^{3}ιν),
sexta arsi, bis: 54,1 (κύμασ^{6}ιν),
66,1 (κήδεσ^{6}ιν),
nunquam in arsibus hexametrorum, quod paucitati reliquiarum tribuas.

c) ad positionem **in thesi** dactyli efficiendam: nusquam.

Quae ex ceteris elegiographis editionis Bergkianae, quos omnes perlustravi, memoratu digna videntur, hic adiungo.[1])

---

[1]) De ν paragogico in fine pentametri cf. A. Langen, de dist. gr. eleg. 1868 p. 31.

Illorum praeter Archilochum elegiacorum in hexametris syllaba brevis in arsi posita ν paragogico addito
producitur 24iens
pentametris 32iens
in universum 56iens;
syllaba brevis in thesi posita producitur 7iens.

III. Ac primum dico de hexametris.

a) Syllaba producta posita est in arsi II. pedis 10iens:
Call. 1,8 δυσμενέσιν· θάνατος δὲ τότ' ἔσσεται, ...
Mim. 12,3 ἵπποισίν τε καὶ αὐτῷ, ἐπεὶ . . .
Theogn. 75 παύροισιν πίσυνος | μέγαλ' ἀνδράσιν . . .
87 μή μ'ἔπεσιν μὲν στέργε, νόον δ'ἔχε . . .
209 οὐκ ἔστιν φεύγοντι φίλος καὶ . . .
747 τίς δή κεν βροτὸς ἄλλος, ὁρῶν . . .
779 παιᾶσίν τε χορῶν | ἰαχῇσί τε . . .
Sim. C. 91 μυριάσιν ποτὲ τῇδε τριακοσίαις . . .
175 οὐκ ἔστιν μείζων | βάσανος χρόνου . . .
Crit. 2,11 τεύχουσιν· πρὸς δ'ὄμματ' ἀχλὺς . . .
e quibus 10 versibus 7 caesura trochaica tertii pedis, 3 semiquinaria (iuncta cum bucolica) exornati sunt.

b) Syllaba producta posita est in arsi III. pedis 6iens:
Tyrt. 12,19 θαρσύνῃ δ'ἔπεσιν τὸν πλησίον ἄνδρα . . .
Mim. 14, 11 ἔργον, ὅτ' αὐγῇσιν φέρετ' εἴκελος . . .
Theogn. 871 εἰ μὴ ἐγὼ τοῖσιν μὲν ἐπαρκέσω . . .
Sim. C. 130,3 τὰν δ'ἀρετὰν οἶδεν μέγα Πήλιον . . .
136,3 πέντε δὲ νῆας ἕλεν δηΐων, . . .
Soph. 5,1 ᾠδὴν Ἡροδότῳ τεῦξεν Σοφοκλῆς . . . .

c) Syllaba producta posita est in arsi IV. pedis quater:
Theogn. 329 καὶ βραδὺς εὔβουλος εἷλεν ταχὺν . . .
409 οὐδένα θησαυρὸν παισὶν καταθήσῃ . . .
Sim. C. 155,7 καὶ Νεμέᾳ τρὶς ἐνίκησεν, καὶ . . . .
Euen. 2,3 χαίρει κιρνάμενος δὲ τρισὶν Νύμφαισιν . . . .

d) Syllaba producta posita est in arsi V. pedis ter:
Sol. 27,13 ἑπτὰ δὲ νοῦν καὶ γλῶσσαν ἐν ἑβδομάσιν μέγ' ἄριστος.
Theogn. 739 ἐξ ἀρχῆς τὰ δίκαια μετ' ἀστοῖσιν φιλέοντες.
Anacr. 109 Πρηξιδίκη μὲν ἔρεξεν, ἐβούλευσεν δὲ Δύσηρις

omnes tres versus incisi sunt caesura tertii pedis trochaica, quam vox (sive voces artissime inter se cohaerentes) cuius ultima ν̄ paragogico aucta est continuo sequitur cum vocabulo proparoxytono clausulae.

e) Syllaba producta posita est in arsi VI. pedis semel:
Callin 1,8 δυσμενέσιν · θάνατος δὲ τότ' ἔσσεται, ὁππότε κεν δή.

IV. In pentametris

a) Syllaba producta posita est in arsi II. pedis 12iens:
Sol. 4,11 πλουτοῦσιν δ'ἀδικοῖς . . .
11,6 σύμπασιν δ'ὑμῖν . . . . .
13,44 ἐν νηυσὶν χρῄζων . . . .
Xenoph. 2,6 ἀστοῖσίν κ' εἴη
Theogn. 10 γήθησεν δὲ βαθὺς . . . .
20 τοῖσδ' ἔπεσιν, λήσει
684 ζητοῦσιν χαλεπῇ . . . . (ζητεῦσιν Hiller-Crus.)
738 ποιῶσιν, Κρονίδη, ...
828 ξανθῇσίν τε κόμαις.
1162 αἰτοῦσιν δ'ἀγαθοῖς . . . .
Anacr. 100,4 ἠνάρισεν στυγερῆς . . . .
Aristot. 4,2 ἔκτεινεν Περσῶν . . . .

b) Syllaba producta posita est in arsi III. (praeter Archil. 7 δυσμενέσιν) 18iens:
Mimn. 3,2 οὐδὲ πατὴρ παισὶν . . .
Sol. 13,48 λατρεύει, τοῖσιν . . . .
Xenoph. 1,4 κρατὴρ δ'ἕστηκεν . . . .
2,10 εἴτε καὶ ἵπποισιν, ...
Theogn. 58 νῦν δειλοί · τίς κεν . . .
66 ὥς σφιν ἐπ' ἔργοισιν . . . .
72 καὶ μακρὴν ποσσίν, . . .
210 τῆς δὲ φυγῆς ἐστὶν . . .
302 λάτρισι καὶ δμωσὶν . . .
710 ψυχὰς εἴργουσιν . . .
900 τῶν τ'ἀδίκων, μέγα κεν . . .
936 χώρης εἴκουσιν . . . .
1110 νῦν ἀγαθοί · τίς κεν . . .
1178 Κύρνε, μεγίστην κεν . . .
Anacr. 105,2 υἱός · ἐποίησεν . . .

Soph. 4,2 γυμνὸν ἐποίησεν . . .
Jo. 1,8 πρὶν δὲ σιωπῶσιν· . . .
(Emped.) 2,4 φῶτας ἀπέστρεψεν . . .

c) Syllaba producta posita est in arsi V. bis:
Callin. 1,15 μοῖρα κίχεν θανάτου
Simon C. 119,2 μοῖρ' ἔκιχεν θανάτου.

V. Syllaba producta posita est **in thesi**

a) I. pedis hexametri semel:
Theogn. 163 εἰσὶν δ'οἳ βουλῇ τ'ἀγαθῇ,

b) II. pedis hexametri semel
(Theogn. 33 καὶ μετὰ τοῖσιν πῖνε . . . . [Musonius rectius μετὰ τῶν σύγε]).
Theogn. 601 ἔρρε, θεοῖσίν τ' ἐχθρὲ . . .

c) I. pedis pentametri 5×:
As. 2 ἦλθεν κνισοκόλαξ, . . .
Xenoph. 2,8 καίκεν σῖτ' εἴη . . .
Theogn. 622 πᾶσιν δ'ἀνθρώποις . . .
980 χερσίν τε σπεύδειν . . .
Sim. C. 106,2 (recens carmen) λοῦσεν φοινίσσᾳ . . .

Primo obtutu oculis obicitur saepius in pentametris metrum ν̄ paragogico adiecto fulciri quam in hexametris, nam cum in hexametris syllaba brevis 24iens in arsi et bis in thesi producatur (= 26iens in hexametris), in pentametris 32iens in arsi et 5iens in thesi (= 37× in pentametris Archilochi loco non adnumerato) illud ν̄ finale versui succurrit; sed quod multo magis miraberis: **ex altero pentametri hemistichio id genus productiones fere remotae videntur.** Callinus solus syllabam in quinta arsi pentametri positam producere sibi concessum iudicavit

μοῖρα κίχεν θανάτου

quod exemplar posteri crebra imitatione expresserunt. qui hoc ratum esse demonstrent, loci (praeter Sim. C. 119,2) sunt hi:
Tyrt. 7,2 μοῖρα κίχοι θανάτου.
Mim. 6,6 μοῖρα κίχοι θανάτου.
Sol. 20,4 μοῖρα κίχοι θανάτου.
27,18 μοῖραν ἔχοι θανάτου.

Theogn. 340 μοῖρα κίχοι θανάτου.
820 μοῖρα λάβοι θανάτου.
(cf. et Simonid. C. 107,2 θανάτου μοῖραν ἐδεξάμεθα.
Pindar. [O. Schroeder] Is. V 15: μοῖρ' ἐφίκοιτο καλῶν).
Attamen diiudicare non audeo, utrum Archilochus sibi talem productionem, quae in fine prioris hemistichii semel extat (fr. 7 — δυσμενέσιν), in altero indulserit necne.[1])

Sed ut paucis perorem:

I. In **hexametris** elegiaci antiquiores syllabam brevem littera ν paragogica addita maxime in **arsi** II. (10iens) et III(6 iens) produxerunt, non admodum crebro in arsi IV. (quater) et V. (ter), rarissime (semel)) in arsi VI.

---

[1]) In penthem. dactylica B 6 charta exhibet [οὐ]δαμά κως εἶδε (!). — In Callimachi epigram. (v. W.-M.) talis productio in fine alterius hemistichii non admodum crebro (bis) reperitur:

VI. 2 Εὔρυτον, ὅσσ' ἔπαθεν,
XXXI. 4 θηρίον οὐκ ἔλαβεν,

in quinta arsi semel:

XLVII. 2 ἐξέφυγεν δανέων,

(in fine prioris hemistichii semel: XXI, ἦρξεν, ὅδ' ἤεισεν).

Ex elegiacis recentioribus (ed Hartung 1859) unus Leonidas Tarent. quater in quinta arsi pentametri brevem vocalem ν paragogico auxit

5,4 ἐκρέμασεν πίτυος
20,2 ἐκρέμασεν Γαλατᾶν
22,4 ἀμφέχανεν θάνατος
71,6 σὺν Χάρισιν δόλιχον,

semel Agis:

2. ἐκρέμασεν καλάμοις,

semel Hermesianax colophon.:

3,60 Ζεὺς ἔπορεν Σοφοκλεῖ,

semel Antagoras rhod.:

1,4 τοῦδ' ἔβαλεν ποταμοῦ;

in universum igitur 7iens ap elegiacos recentiores in quinta arsi, sed crebrius in fine alterius hemistichii (Add. 3,2. 4,2. Sim. rhod. 1,6, Philetas Cous. 20, Phalaec. 3,8, Asclep. sam. 2,4. 29,6. 30,2. Posidipp. 10,4, Hedyl. 7,2, Hermesian. 3,52, Nic. 10,2, Leonid. tar. 10,6. 27,6, 8. 31,4. 69,6. 80,2, Antig. caryst. 2,2. 4 = 20iens.

II. **In petametris** elegiaci antiquiores syllabam brevem ν paragogico productam maxime in **arsi** III. (18^{iens} Archilochi loco non adnumerato) et II. (12^{iens}) collocaverunt, rarissime in arsi V.

III. **In thesi** tali productioni patet I pes (5^{iens}) pentametri, rarissime I. et II. pes hexametri (singuli loci unius Theognidis). κεν producitur in arsi II. (semel τίς δή κεν), VI. (semel ὁππότε κεν δή) hexametri, III. (quater τίς κεν bis, μέγα κεν, μεγίστην κεν) pentametri, in thesi I pedis pentametri (semel).

Bisyllaba iambica ν paragogico facta reperiuntur 3, quorum syllaba ultima collocata est in arsi III. (semel) et IV. (semel) hexametri, V. pentametri (semel);

bisyllaba spondiaca ν paragogico facta 15, quorum syllaba ultima collocata in arsi III. (ter), IV. (bis) hexametri, III. pentametri (5^{iens}), in thesi I. pedis hexametri (semel) et pentametri (quater).

Trisyllaba molossica (quibus ἐν νηυσίν, οὐκ ἔστιν similia adnumerata sunt) 22, syllaba ultima in arsi II. (6^{iens}) et III. (semel) hexametri, II. (10^{iens}) et III. (5^{iens}) pentametri.

trisyllaba anapaestica 3; syllaba ultima in arsi II. (semel), III. (semel) hexametri, V. pentametri (semel).

Voces choriambicae (quibus τοῖσδ' ἔπεσιν accedit) 4 ultimam habent in arsi II. (bis) hexametri et pentametri (bis).

Voces forma epitriti primi (◡ — — —) 7 syllabam ultimam habent in arsi IV. (semel) et V. (bis) hexametri, III. (quater) pentametri.

Vox forma pedis cyprii (◡ — ◡ ◡ —) 1 in arsi V hexametri (ἐν ἑβδομάσιν).

Arses igitur II. et III. et hexametri et pentametri omnium maxime ν paragogicum ad producendam syllabam brevem arripiunt (46^{iens} ex 56 locis!) **atque eaedem maxime ad molossum sive spondeum efficiendum** (36^{iens} ex 56 locis!).

Incisionum arridet semiquinaria versibus, qui syllabam ν paragogico auctam in arsi III. vel IV. habent (8^{iens} in 10 versibus), trochaica tertii pedis versibus, qui productionem in arsi II. et V. habent (10^{iens} in 13 versibus).

§ 5.

Elisio vel[1]) synalipha,

quae fit, quando pars orationis in vocalem finita ante vocalem sequentis vocabuli initialem eliditur[2]), occurrit nobis in hisce

I. pronominibus

a) finitis in —ᾰ:

τιν' 73. 89,1. ταῦτ' A 12.

b) finitis in —ε:

μ' 85. A 13. σ' 78,4. τῆσδ' 53. ἥδ' 73 (quo in pronomine δε encliticon confirmat significationem demonstrativam).

c) finitis in — οι:

μ' [οι] 22, vide infra.

II. nominibus et adiectivis et numeralibus.

a) finitis in — ᾰ:

1. neutr. plur.: πόλλ' 3,1. 8,2. 118.[3]) A 5. 8. ἔργ' 88,2 πώματ' 4,2.[4]), τοῖ' 70,3 (similiter οἷ' Simon C. 113,2). φίλτερ' 74,9. Γυραῖ' 54,2 (cf. § 3 II)[5]) δῶρ' C 48. ξῦν' C 49.

2. acc. sing. declinationis in consonam exeuntis: παῖδ' 48. νύκτ' 74,3. χοιράδ' 128. ἄνδρ' 124. πάντ' 124. πεπηγότ' A 7.

---

[1]) cf. Westphal u. Gleditsch, allg. theor. d. gr. m.[3] 1887 p 120.

[2]) Marii Plotii art. gramm. lib. I (pag. 448 Keilii). similiter Maxim. Victorin. de rat. metr. p. 219 K 'synaliphae haec est consuetudo, ut anterior vocalis excludatur', Mar. Victorin. VI. 66,7 K, Diomedis ars gram. I. 442, 15 Keilii; Hephaestion p. 11 W., schol. Heph. p. 119. 120. 123, Choerobosci in Hephaest. enchirid. comment p. 54 lineol 24 sqq. (= anecdota gr. ed. Studemund 1886).

Bene agit de synalipha Westphalius[3] 1887 III 1, 120 sqq, minus recte hic quidem Christius — meâ sententia — qui confudit synalipham cum synizesi (metr. d. gr. u. r. p. 33. 28,12). — praetera cf. Lobeck de apostropho.

[3]) Incerta omnium huius fr. verborum fides, cf. contra Bergkii, Useneri (altgr. versb. p. 112), Peppmülleri sententiam: Arth. Ludwich, der karer Pigres, 1900 p. 7, adnot. 2.

[4]) Figuram, qua syllaba syllabarumve quaelibet pars orationis contrahitur metro cogente, appellat Marius Victorinus p 56 K. 'apocopen'. at cf. Mar. Plot. p 452 K.

[5]) Dubito de ῥῆματ' fr. 50, ubi libri ῥήματα exhibent.

3. nom. sing. declinationis in — α vocalem exeuntis: γαῖ' 17,2.
4. πεντήκοντ' 114 (cf. Simonid. C. 147,4 πεντήκοντ' ἀνδρῶν. Xenoph. 7,1: ἑξήκοντ').

b) finitis in — ε vocativi declinationis in — ο vocalem exeuntis: θύμ'66,1. Γλαῦκ'15. Γλαῦχ'54,1.[1]) φίλ'9,6. 113 (d.f.). φίλταθ'79,2.

III. verbi formis

a) finitis in α: ἐοῦσ' 31.

b) finitis in — ε:
1. III i sg. ind. aor. act. et perf. act. ἦλθ' 74,4. οἶδ' 118 (cf. p. 49 [3]).
2. II. sing. imperat. praes. act. coniugationis in — ω exeuntis: χαῖρ' 119. cf. quae dixi § 3 I. ὄλλῠ' 27,2 ubi Bergk. ὄλλυθ' commendavit.[2])

c) finitis in — ι (vide Lobeck, Ai 801).
1. I. sg. opt.: ἐθέλοιμ' A 12.
2. III. sg. praes. act. verborum in — μι exeuntium: ἔστ' 87,1 nisi forte cum Schneiderwino ἐστὶ κεῖνος legendum est, cum Archilochus amphibrachum in tertio pede trimetri vitare videatur (semel 96,2 τράπεζαν, ubi versus non integer extat; Θεμιστά 88,3 coniecturae debetur; προβλῆτος 141 = 109 a Hiller-Crusii et ἐπί praepositione antecedente et numeris excusari potest; Ἰόλαος excusationem ex nomine proprio habet).[3])

---

[1]) κ litteram praebet cod. Ox. man. recent., cf. A. Ludwich, Arist. hom. textkr. II 653; vulgo Γλαῦχ' quod recte retin. Fick, Hiller-Cr., Hoffmann.

[2]) cf. Theogn. 1195 ἐπόμνυθι. vid. Rennerum in Curt. stud. I 2,56, 2. G. Meyer [3] §§ 496. 572. Brugmann gr. gr. [2] p. 155. 163 (§ 130).

[3]) ceterum Schneidewinus, quem sequuntur Rennerus (in Curt. stud. I 2,9) et G. Meyer (gr. gr. [3] § 434 p. 523), iniuria contendit Archilochum in iambis et trochaeis ubique breviorem formam adhibuisse. immo Archilochus pronomen κεῖνος promiscue cum formis ἐκεῖνος usurpat. bisyllabum enim κεῖνος metrum sibi repetit locis his:

ταύτης γὰρ κεῖνοι δαίμονες εἰσὶ μάχης 3,4 pent.
εἰ κείνου κεφαλὴν καὶ χαρίεντα μέλεα 12,1 pent.
ἔα Πάρον καὶ σῦκα κεῖνα καὶ θαλάσσιον βίον 51 tetr.

adice κεῖθι 132, κεῖ 170:

trisyllabum ἐκεῖνος metro fulcitur:

. . . . . ἀσπὶς ἐκείνη 6,3 (sic certo omnes libri in antiqua ipsa

3. III. pl. praes. act, κλίνουσ' 56,4 (incertum v. Bergkii adn., recte Meinekius).
4. II. sg. imperat. praes. coniugationis in — μι exeuntis. κλῦθ' 75, (hoc unum certum videtur exemplum), libri κλῦθι, vid. § 3, I. ὄλλυθ' 27,2 quod commendavit Bergk, v. supra, non necessarium itaque falsum est, cf. ὀλλύεις Archil. 27,2 (ὄμνυε in epigr. novicio apud Bergk, p. l. II pag. 378.)

d) finitis in — ο, III sg. praeter. med:
ἐτράπεθ' 9,8. εἵπετ' C 46 coni. Leo.

Hic fortasse non nullius momenti est animadvertere Nonnum eiusque imitatores elisiones illorum trium generum, quae huc usque descripsi, vocabulorum plane detrectasse, (cf. Meineke ad Moschi idyll. III. 125. A. Ludwich, beitr. z. kr. d. Nonnus v. P. p. 16).

IV. praepositionibus disyllabis:

a) finitis in α:
παρ' 32,1 (addid. Hermann, omis. codd.) κατ' 33. 43. 103,2. μετ' 63,1. δι' 84,3. 140 (dubia fide). ἀν' 89,4.

b) finitis in — ι (sed excepta περί de qua § 3 verba feci):
ἐπ' 64. 72. 74,4. 88,2. ἐφ' 70,2. 115. 131. A 13. ἀμφ' 9,4. D 50.

c) finitis in — ο.
ἀπ' 37, ὑπ' 123, ὑφ' 102 [78,3, ὑφ' ἡμῶν, plane incertum, addid. Bergk.]

V. coniunctionibus et particulis

a) finitis in α:
ἀλλ' 4,1. 36. 47. 118 (de quo fr. potissimum disceptatur et dubitatur). ἄρ' 86,2. 89,5.

---

varietate lectionis) in exitu hexametri, ubi et Homerus formam longiorem adgnoscit (La Roche h. u. p. 83 sq.) et

ἐκεῖνος . . . . B 9 (chart. Reitzenst.) initio trimetri. —

Semonides formam breviorem adgnoscit solam (7,51. 84.); in Hipponactis choliambis unum exemplum obvenit (fr. 64 Hill.-Crusii = 23 A Hoffmanni) ἐκεῖνον quod Hoerschelmann ex codicis scriptura ἐκτεῖνον restituit.

b) finitis in ε:
